DE
INITIO IMPERII SEVERI ALEXANDRI AUG.
DISSERTATIO.

FLORENTIAE. MDCCXV.

TYPIS REGIAE CELSITUDINIS.
Apud Jacobum de Guiduccis, & Sanctem Franchi

Superiorum Permissu.

REGIAE CELSITUDINI

JO GASTONIS

MAGNI ETRURIAE PRINCIPIS.

Mihi, de Severo Alexandro Optimo Principe acturo, Tu unus, cui haec consecrarem, PRINCIPUM OPTIME,

occurristi, quum egregias quasque, praestantesque animi dotes, quibus ille totius sibi orbis Romani amorem, ac benevolentiam conciliaverat, in Te, praeclarissimaque tua indole mirifice expressas contemplarer. Etenim sive liberales, politioresque disciplinas, quibus adprime es instructus, assiduamque librorum lectionem, qua curas graviores diffindis, sive spectatam illam animi tui moderationem, qua luxum, fastumque omnem abhorres, sive mores denique tuos ad severioris Philosophiae normam exactos intuear, vividissimam, pulcherrimamque ejusce Principis imaginem videre, mihi videor. Imo-

ve-

vero quum singularem tuam pietatem, insignemque in Deum Optimum Maximum religionem specto, excellentiorem profecto te ex animo spirare virtutem cerno, ac non impensissimum modo studium, quo ethnicus ille Imperator Deos suos prosequebatur, te in veri Numinis cultu exaequare, sed longe etiam superare, animadverto. Mitto incredibilem illam, qua adeuntes quosque complecteris, eosdemque tibi mirum in modum devincis, humanitatem, eximiam ac vere regalem erga omnes beneficentiam, amorem literarum, literatorumque patrocinium, quibus virtutibus vel Severus ipse Alexander maxime in-

cla-

claruit. Excipe itaque, REGIA CELSITUDO, hoc, tenue licet, atque humile, summi erga Te mei obsequii monumentum, meque, studiaque mea, ut facis, fovere perge.

REGIAE CELSITUDINI TUAE

Obsequentissimus Addictissimusque
D. Virginius Valsechius Monachus Casinensis.

INDEX CAPITUM.

PRAEFATIO.

Dissertationis occasio, & argumentum.

CAPUT I.

Vulgata Dionis lectio, qua mors Elagabali, & inauguratio Alexandri statuitur mense Martio anni Ch. 222. Ejusdem lectionis restitutio a Cl. Vignolio excogitata, qua eae in mensem Julium rejiciuntur. Septem argumenta pro vulgata Dionis lectione tuenda: quorum duo hoc capite afferuntur. Primum petitur ex Senatus acclamationibus, quibus Alexandro Antonini, & Magni nomina oblata. Refellitur Cl. Vignolii opinio de tempore, quo eaedem acclamationes habitae. Secundum argumentum erutum ex novem legibus Alexandri anno primo ejus imperii editis, quae datae omnes ante mensem Julium.

CAPUT II.

Argumentum ex Canone Paschali S. Hippolyti, in quo Idibus Aprilis anni Ch. 222. Sev. Alexander jam *Im-*

Imperator exhibetur. Ingeniosa Cl. Vignolii ad idem argumentum responsio. Quatuor hypothesibus eadem responsio innititur, quarum singulae expenduntur, & refutantur. Alter Canon Paschalis Hippolyteo plane similis D. Cypriano adscriptus.

CAPUT III.

Argumentum ex tempore necis Alexandri, & initio Maximini. Germanica Maximini Victoria relata aestate anni Ch. 235., *non vero, ut sentit Cl. Vignolius, aestate anni* 236. *Hiems, quam Sirmii post eamdem victoriam Maximinus egit, fuit, quae subsequuta aestatem anni* 235. *Ex quibusdam Inscriptionibus colligitur, Maximinum praeter Germanicum bellum, Sarmaticum quoque & Dacicum confecisse. Exstant nummi ejusdem Maximini cum titulo Germanici, qui cusi videntur ante annum* 236. *Nummi Maximini cum Tr. P. II. sine titulo Germanici non probant, eum Victoriam Germanicam non retulisse nisi post eamdem Tr. Pot. II. initam.*

CAPUT IV.

Argumentum ex tempore, quo Afri, ac dein totus orbis Romanus a Maximino rebellavit. Pagii opinio de Afrorum defectionis tempore. Gordianus ab Afris Imperator renunciatus confirmatur Romae a Senatu die XXVII. *Maji an. Ch.* 237. *Biennium tum regnaverat Maximinus. Aliquae Maximini Inscriptiones cum TR. POT. III. Sponii in ejusdem Maximini Inscriptiones Fori Segusianorum repertas observatio.*

Gor-

CAPITUM.

Gordiano non multo post fato functo, Romae die IX. *Julii ejusdem anni* 237. *Maximus, & Balbinus a Senatu eliguntur.*

CAPUT V.

Argumentum ex tempore necis Maximini, necnon Maximi & Balbini. Tempus imperii Maximini. Quoto tempore post mortem Maximini Maximus & Balbinus regnaverint. Maximus & Balbinus Romae occisi, dum ludi Capitolini celebrabantur. Variae opiniones de tempore ludorum Capitolinorum. Petavii argumentum ex insigni loco Censorini desumtum, quo ludi Capitolini ante exitum mensis Augusti editi ostenduntur. Censorinus librum suum scribebat ante diem XXIX *Augusti, quum in cursu adhuc erat annus Augustorum Aegyptius* 267. *Pagii opinio de tempore, quo idem Censorinus librum suum scribebat. Aliquae Censorini editiones annum, quo is librum suum scribebat, habent fuisse Augustorum Aegyptium* 268., *sed hae vitiosiores.*

CAPUT VI.

Postremum argumentum ex initio, ac fine Gordiani Pii, & Philippi ejus successoris. Gordiani initium circa medium mensem Junium anni Ch. 238. *statuendum, non vero circa medium mensem Octobrem. XXXII. leges Gordiani datae ante Idus Octobres ejusdem anni* 238. *Quamvis aliquae legum subscriptiones mendosae, non idcirco mendosae omnes habendae. Tillemontii conjectura de iisdem Gordiani legum subscriptionibus. Tempus imperii Gordiani. Initium Philippi circa medium mensem Junium anni Ch.* 244. *pariter statuendum,*

¶ *dum,*

C A-

CAPUT IX.

Cl. Vignolii argumentum ex nummo Anniae Faustinae tertiae Elagabali uxoris, & ludis Olympicis in eodem nummo expressis desumtum. Idem argumentum non satis consentit cum ejusdem V. C. sententia de tempore necis Elagabali. Ludi Olympici, qui Elide committebantur, aestate quidem celebrati, non vero qui in aliis Graeciae, aut Asiae urbibus. In nummis ludi simul juncti occurrunt, qui tamen diversis temporibus fieri soliti. Ex pluribus urnis, quibus ludi in nummis repraesentatur, colligi nequit diversis temporibus eosdem ludos fuisse celebratos. Philippi Bonarotae de his pluribus urnis sententia. Certamina Olympia in nummis modo cum Actiis, modo cum Pythiis copulantur, atque his modo anteponuntur, modo postponuntur. Ejusdem Philippi Bonarotae de variis illis ludorum appellationibus opinio. Olympia Antiochiae edita mense Hyperberetaeo, seu Octobri.

CAPUT X.

Parergon de nummo Anniae Faustinae R. P. Chamillardi. Singularis R. P. Harduini de Annia Faustina opinio. Nummus P. Chamillardi adulterinus. Afferuntur, ac refutantur argumenta quibus P. Harduinus nummum vindicat. Nummus, ex quo desumtum caput Anniae Faustinae nummi P. Ch., non fuit max. moduli, sed primi moduli ad formam max. moduli redactus. In nummo P. Ch., quum primum conflatus fuit, erant literae CEB., sed duae postremae ab arti-

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CA-

CAPUT XIII.

Altera Pagii, & Cl. Praesulis conjectura pro nummis Elagabali TR. P. V. inscriptis in Addendis *proposita. Censent, Elagabalum acclamatum fuisse Imperatorem die* XVI. *Maji. Quae ab acclamatione Elagabali ad diem, qua pugnatum cum Macrino, gesta, recte fieri potuerunt intra diem* XVI. *Maji & diem* VII. *Junii. Scriptores Graeci, qui Elagabalo quatuor annos imperii tribuunt, hos non numerant ab ejus acclamatione, sed a morte Macrini. Nicephorus Callistus, qui Macrinum neque ad annum regnasse scribit, non favet eidem Cl. Praesulis conjecturae. Alio loco Nicephorus unum imperii tribuit Macrino. Per eamdem Pr. Cl. conjecturam nullo modo explicari possunt nummi Anniae Faustinae & Aquiliae Severae anno* V. *imperii Elagabali obsignati.*

CAPUT XIV.

Nummi Anniae Faustinae L. E. *inscripti probant Elagabalum quintum annum imperii iniisse, ac post eum initum duo alia matrimonia junxisse, & ad Aquiliam Severam redisse. Ratio annos Imperatorum in nummis signandi, Alexandrinis a Pagio & a Cl. Praesule adtributa, commentitia. Qua de caussa Ptolemaeus in Regum Canone annos a Thoth vago numeraverit. Trajani & Antonini Pii initia a Thoth vago proxime eorum inaugurationem antecedente a Ptolemaeo in libris Mag. Constr. computata. Perperam a Ptolemaeo consignatur initium Hadriani: ejusque erroris caussa de-*

detegitur. Ratio annos Imperatorum in nummis signandi, quam Aegyptiis Pagius adscripserat, non uno in loco ab eodem Pagio postea abdicata. Repudiatis Imperatorum uxoribus cusos nummos fuisse, incredibile.

CAPUT XV.

Elagabalus Antoninum, Antonini Caracallae filium, Imp., Aug., & Tr. Pot. se inscripsit ante Senatus decretum. Hinc conjicitur, illum tempus sui imperii numerare potuisse a morte Antonini Caracallae. Idem a militibus electus Imp. tanquam filius Antonini Caracallae, ejusque imperii successor. Macrini memoriam invisam reddit, eumque imperii raptorem traducit. Consulatum Macrini sibi vindicat, nomenque illius e Fastis eradit, ac suum substituit. E marmoribus quoque, in quibus Maurinus Imp. *&* Aug. *dicitur, idem nomen expunctum.*

CAPUT XVI.

Nummus Aegyptiacus Corneliae Paullae cum L. Γ., *in quo Imperator eques Pacificatoris habitu, Vaillantio vere laudatus. Hanc duxit Elagabalus non multo post suum ad Urbem adventum. Graeci Latinorum nummorum typos aemulari soliti. Typi Augustorum in nummis uxorum repraesentati. Nummi Corneliae Paullae* L. Γ. *&* L. Δ *notati, necnon nummi Anniae Faustinae & Aquiliae Severae cum* L. E. *per nostram conjecturam conciliati. Nummi Elagabali inscripti TR. P. COS. II. non pugnat cum dicta conjectura.*

C A-

CAPUT XVII.

Congiaria Elagabali inscripta TR. P. II. COS. II. non pugnant cum nostra conjectura. Typus Fortunae Reducis non semper Adventum Imperatorum designat. Argumentum ex nummis, qui ad nos non pervenerunt, fallax. Elagabalus non solum Macrinum imperii raptorem declaravit, sed & ipse Antonini Caracallae filius, & imperii successor a militibus declaratus. In argumento, quo probatur, Elagabalum tempus imperii Macrini sibi adscripsisse, ex eo, quod Consulatum ipsius Macrini sibi adrogavit, petitio principii nulla. Nummus Corneliae Paullae cum L. Γ., *in quo Imp. eques Pacificatoris habitu, Vaillantio visus, neque credibile, hunc in ejus nummi descriptione deceptum fuisse. Ratio, qua ab Ill. a Turre explicantur nummi Corneliae Paullae cum* L. Γ. *&* L. Δ., *necnon Anniae Faustinae & Aquiliae Severae cum* L. E., *commentitia. Herodianus utitur annis Julianis utrimque incompletis. Comparatio inter nostram conjecturam, & utramque ab Illustris. a Turre propositam.*

CAPUT XVIII.

Nova Cl. Vignolii Dissertatio, in qua priorem suam sententiam de die mortis Elagabali, & Alexandri aliquanto immutat. Nunc Elagabalum occisum tradit ante Calendas Julias anno Ch. 222., *Alexandrum vero non ante initium Octobris anni* 235. *Bellum Persicum nullo modo gestum ab Alexandro postremo anno sui imperii, sed potius anno Christi* 232. *Regula a*

Viro

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

DE

DE INITIO IMPERII SEVERI ALEXANDRI AUG.

DISSERTATIO.

PRAEFATIO.

Dissertationis occasio, & argumentum.

QUum Ecclesiasticam inter & Saecularem Historiam maxima necessitudo intercedat, imo vero singulari, arctissimoque hae vinculo copulatae saepenumero sint; dubitari nequit, quin, quum ea, quae ad Saecularem historiam spectant, probe tempora constituuntur, firmius etiam, ac luculentius, quae ad Ecclesiasticam pertinent, stabiliantur. Hinc laude plurimum digna, ipsique Ecclesiae non utilia modo, sed & quammaxime necessaria aequis rerum aestimatoribus eorum semper visa studia sunt, qui Romanorum veterum Imperatorum, atque Consulum annis indagandis, riteque iisdem collocandis, strenuam operam navarunt: notum namque, compertumque est, priscos omnes Christianos Scriptores rerum in Ecclesia praeclare gestarum tempora nonnisi horum annis atque aetate designasse.

Hujusce generis quaestionem quatuor abhinc annis agitandam ipse susceperam, quum Dissertationem

De M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia Potestate V. inscriptam edidi. Siquidem, quum non exigua, ob pugnantia inter se cum veterum Scriptorum, tum antiquarum Inscriptionum monumenta, in hujus Imperatoris annis consignandis, difficultas esset, eam in rem diligentius inquirere coepi, ac quae veritati magis consentanea visa mihi fuerat, opinionem proponere placuit.

Dio hinc Cassius offerebat sese, accuratissimus, atque ejusdem, qua ipse vivebat Elagabalus, aetatis scriptor, qui lib. 79., eum non nisi annos tres, menses novem, & dies quatuor imperasse, affirmabat: ejus quidem temporis initio deducto a pugna, qua circa diem septimum Junii anni V.C. 971. Ch. 218. Macrinum devicerat; quo fiebat, ut vita demum, & imperio spoliatus idem fuisset, circa diem decimum Martii anni V.C. 975. Ch. 222. Illinc vero occurrebat Herodianus ejusdem aevi, nec minoris auctoritatis scriptor, qui lib. 5. cap. 6. multo latius Imperii ejus fines protendebat, sexennium namque rerum illum potitum affirmabat.

Dionis sententiam mirifice confirmare videbatur praeclarissimum antiquitatis monumentum, quod insigni ornamento est Bibliothecae Vaticanae, Cathedra nimirum marmorea S. Hippolyti Portuensis Episcopi, quae Canonem Paschalem per binos sedecennales Cyclos, Lunarum scilicet quartarum decimarum alium dextro ejus Cathedrae lateri insculptum, alium vero sinistro lateri Dominicarum Paschalium, singulari methodo ac diligentia ab eodem sanctissimo Antistite sub illa eadem tempora digestum exhibens, Idibus Aprilis anni V.C. 975. Ch. 222., unde is Canon exordiebatur, Severum Alexandrum imperio jam auctum ac Elagabalum ejusdecessorem e vivis sublatum testabatur.

Sed contra obstabat alius lapis a Panvinio primum, deinde a Grutero editus, in quo Idibus ipsis Aprilis ejus-

ejusdem anni, quibus in Canone Hippolyti Severus Alexander imperasse traditur, templum Elagabalus, vel statuam, vel signum aliud quodpiam Serapidi dedicasse spectatur.

Accedebant plures ipsius Elagabali Latini nummi Tribunitia Potestate V. inscripti, quam, si die decimo Martii anni Ch. 222., ut docet Dio, interfectus fuisset, vel Idibus Aprilis, ut habet Hippolytus, imperio Alexander praefuisset, nullo modo attingere potuisset.

Latinorum nummorum difficultatem augebant Graeci alii Anniae Faustinae, tertiae Elagabali uxoris, & Aquiliae Severae, secundae quidem ejus uxoris, sed ad quam jam dimissam, quum scilicet aliam post, deinde aliam, atque aliam, ut habet ex Dione Xiphilinus, duxisset, iterum rediit, anno V. Imperii ipsius notati; unde Elagabalus apparebat, non modo quintum annum imperii iniisse, sed & eodem jam inito Anniam Faustinam repudiasse, duo alia matrimonia junxisse, ac tandem ad Aquiliam Severam rediisse.

Demum recentiores quoque auctores inter se dissentientes animadvertebam: alii namque cum Dione Elagabalum neci deditum sub initium mensis Martii anni Ch. 222. statuebant, alii vero Dione relicto, usque ad mensem Septembrem ejusdem anni vitam illum & imperium prorogasse, contendebant.

Porro in tanta illa veterum monumentorum varietate, ac discrepantia diu anceps animus haeserat, utri e duabus iis recentiorum opinionibus subscribere, debuissem. Subscripsi vero tandem, sat mature ut augurabar, re perpensa, Dionis sententiae, gravissima Canonis Hippolytei auctoritate firmatae, quam quum pluribus etiam confirmare studuissem, lateque eorum opinionem, qui mortem Elagabali in mensem Septembrem conjiciebant, rejecissem, postremo ma-

ximam, potissimamque, quae e nummis accersebatur, amovere difficultatem, aggressus sum. Varias itaque apud plerosque scriptores ejus, similiumve difficultatum nactus solutiones, examen earum institui, ac quum parum firmas alias, aliasque omnino falsas deprehendissem, alio nobis animum vertendum esse, alio confugiendum cognovi. Peculiaris autem, dum haec agitabam, in mentem venit explicatio, quam quum aliquot etiam conjecturis, iis quidem, quas difficilis adeo, implexaque res pati poterat, munitam animadvertissem, eruditis eam viris, quo melius illorum maturiusque judicium intelligerem, proponendam, censui. Porro singulare id erat systema, quo alio ab initio, atque hactenus factum, anni imperii Elagabali numerari posse videbantur.

Igitur Dissertationem in id argumentum vulgaveram; quum octodecim circiter post menses Romae prodiit erudita, atque elegans admodum Joannis Vignolii, viri tum ob eximia alia scripta ab eo edita, tum ob praeclarum, quo summa cum laude Bibliothecae Vaticanae curandae fungitur, munus sat orbi literario noti, Dissertatio: *De anno primo Imperii Severi Alexandri Aug., quem praefert Cathedra marmorea S. Hippolyti Episcopi*. In hac eamdem, quam ipse tractaveram, rem diserte Cl. auctor prosequutus est, quaestione, non de anno quidem, quo Severus Alexander statim post mortem Elagabali Imperator inauguratus est, quum ipsi quoque exploratum esset, hunc fuisse Ch. 222., sed de mense, atque die, quo ea facta inauguratio, instituta. Nummorum Tribunitiam Elagabali Potestatem quintam praeferentium fide, ac auctoritate adductus Dionem sequi hac in re haud tutissimum esse judicavit, pluribus quidem, quod a me, ut illos cum Dione conciliarem, traditum fuerat, systemate potissimum refutato. No-

Novam autem, eamque inter Dionis sectatores, necem Elagabali, & Alexandri inaugurationem sub initium mensis Martii statuentes, & eos qui in mensem usque Septembrem illas differebant, mediam sententiam excogitavit, nimirum caesum Elagabalum, suffectumque ei Alexandrum fuisse mense Julio. Suam hanc opinionem novis aliquot argumentis adstruere conatus est, ac ne de Dione auctore ceteroqui synchrono male mereri videretur, textum ejus, quo Elagabalus annos tres, menses novem, & dies quatuor imperasse dicitur, vitiatum a librariis fuisse, contendit, conjicitque, ita illum esse restituendum, ut annos quatuor, mensem unum, & dies tres eum regnasse, Dio scripserit. Ac quandoquidem novae etiam huic sententiae adversari maxime intelligebat Canonem Paschalem S. Hippolyti Cathedrae marmorae, ut ajebamus, insculptum, in quo Idibus Aprilibus ejus anni Ch. 222. ad imperii fastigium jam evectus Alexander exhibetur; hinc nervos omnes Vir eximius intendit, ut graviori illi occurreret difficultati, ostenderetque, in eo etiam Canone ab iis, qui post Hippolyti tempora Cathedrae illum insculpi curarunt, non errore quidem, aut incuria, sed sapienti consilio, deditaque opera, immutatum quidpiam fuisse, adjectumve.

Pulchram Viri doctissimi lucubrationem maxima equidem cum voluptate, tum ob insignem, quo scripta illa fuerat, styli nitorem, tum ob singulare, quod ubique eminebat, ingenii acumen, tum denique ob honestissimam, plenamque urbanitatis, qua in examen adductae res meae fuerant, rationem, quo sane nomine plurimum devinctum auctori humanissimo me esse fateor, perlegi. Ceterum quod ad nostram adtinebat disputationem, non ita profecto, nisi mei me amor fefellit, allatis ab eo rationibus ad incitas me re-

redactum fuisse, sensi, ut quam antea de tempore necis Elagabali tradideram, opinionem deserere coactus essem, manusque illi dare; quin imo, plura contra observare, licuit, quae multo gravius sententiam illius urgebant, oppugnabantque, praeter luculentissimam Canonis Paschalis S. Hippolyti auctoritatem, pro qua sarta tecta tuenda, speciosam sane, ingeniosamque, sed quae minus fortasse vera videbatur, attulerat is explicationem.

Verum enimvero, quum nonnulla pro Dionis, rerumque aliarum mearum defensione viro Cl. opponenda, pro ut quidem alia, eaque severiora mei muneris studia ferebant, adornare jam coepissem, ecce vero Patavinis typis praestans aliud, atque illustre opus Philippi a Turre Adriae Praesulis meritissimi in lucem editum est, inscriptum: *De annis Imperii M. Aurelii Antonini Elagabali, & de initio Imperii, ac duobus Consulatibus Justini Junioris*. Incredibile dictu est, quam ubique in toto eo opere auctoris praeclarissimi gravitas, prudens judicium, eloquentia, doctrinae copia effulgeat. Eruditam is dudum ad Cl. virum Joan. Antonium Astorium epistolarem dederat dissertationem in elegans atque percelebre Anniae Faustinae tertiae Elagabali uxoris numisma, anno Epochae Damascenorum DXXXV. insignitum, quod in eximio Senatoris amplissimi, ejusdemque in omni eruditae antiquitatis genere peritissimi Joannis Dominici Theupoli museo adservabatur. Etenim quum ob eum, qui inscribebatur, Damascenorum annum, qui non coeperat nisi autumno anni Ch. 223., aliquae inter eruditos excitatae lites fuissent, has ille componere eo scripto aggressus fuerat, nummumque ab omni falsitatis suspicione liberare. De tempore quoque imperii Elagabali, quod suscepti abs se argumenti ratio postulabat, dis-

differuit; ac quum Dionis sententiam illa in re ceteris vel ipse praeferendam censuisset, pro nummis postea bujusce Imperatoris Tribunitia Potestate quinta notatis cum ipso Dione conciliandis, eamdem, quam olim Antonius Pagius in Crit. Baroniana ad annum Ch. 218. num. x. inierat, viam insistere, eamque nonnullis communire exemplis, illi placuit.

Priori meae concinnandae Dissertationi quum incumberem, atque manum a Pagii systemate refutando vix amovissem, publicam in lucem, tom. IV. Italicarum Ephemeridum pag. 361. inserta, praeclara illa epistola emissa est. Gavisus magnopere fui, quam ego de tempore imperii Elagabali amplexus fueram opinionem, eamdem illi quoque adrisisse; at quum contra Pagii systema non omnino mihi probaretur, neque vero, quae ab illo allata fuerant exempla, multum ei ponderis addidisse viderentur, haec examini etiam, ea tamen, qua tantum erga virum par erat, reverentia, subjicere nefas esse haud duxi.

Itaque postremo hoc in opere, ***De annis imperii M. Aurelii Antonini Elagabali, &c.*** rationem, qua ad hujus Imperatoris nummos TR.P.V. notatos cum Dione conciliandos usus fuerat Pagius, ac quam in laudata epistola ad Joannem Antonium Astorium calculo ipse suo probaverat, tuendam, Praesul doctissimus suscipit, eamdemque ab objectis, quae tum in illam, tum in exempla ab eo ad illius confirmationem adducta, prolata a me fuerant, vindicandam. Quod tanta enimvero comitate, & officiose adeo praestitit, ut non modo excussas ab illo fuisse res meas non aegre tulerim, sed & non mediocri id mihi gloriae, atque honori deputaverim. Quo autem securior ad hanc caussam agendam accederet, meae prius nummorum illorum explicationi, seu peculiari pro annis Elagabali numerandis pro-

proposito a me systemati evertendo, quod & antea Cl. Vignolius fecerat, sedulam operam impendit. Quin & Vignolium ipsum, qui non meum solum, sed & Pagii systema rejecerat, erudite admodum refellit, ac singularem illius, pro Canonis Hippolytei inscriptione novae suae de tempore necis Elagabali, & initio Alexandri opinioni conformanda, interpretationem confutavit. Sed quoniam idem Pagianum systema gravi adhuc cuipiam difficultati a Cl. Vignolio propositae, quae quidem meum etiam impetit, obnoxium esse cernebat; hinc aliam ad toties memoratos nummos Elagabali Tribunitia potestate quinta signatos explicandos, viam nobis postremo commonstrat, explanatque.

Ad haec autem quid ego demum, tot, iisque instructis adeo, strenuisque undique hostibus impetitus? Fugane arripienda? an vero experienda iterum sors, pugnaque alacri animo suscipienda? Porro ad hanc suscipiendam invitat me, ac pene impellit singularis praestantium virorum, quibuscum ea mihi ineunda, humanitas, singularis eorumdem doctrina, ac difficile ipsum arduumque argumentum; quibus fiet, ut si victus in acie occubuero, non segniter, non gregario ab milite confossus, non levissima demum de caussa videar occubuisse. Itaque nostrae hujus Dissertationis hic ordo esto, & argumentum. Primum Dionis sententiam de tempore necis Elagabali, & initio imperii Alexandri firmius stabilire, novamque Vignolii de eodem tempore opinionem, ut & ingeniosum ejusdem pro Canonis S. Hippolyti inscriptione explicanda interpretamentum rejicere, enitar. Singula a viro Cl. pro sua adstruenda opinione allata argumenta expendam, diluamque. Ad nummos vero Elagabali Tribunitia potestate quinta inscriptos cum

Dio-

Dionis sententia conciliandos, geminam prius ab Illustriss. Adriae Episcopo adhibitam explicationem, nonnullis in utramque adductis dubitationibus, proponam: ac meam deinde ab incommodis, molestiisque, quibus affici tum Cl. Vignolius, tum idem doctissimus Praesul ostenderunt, quo ad fieri poterit, vindicatam iterum sistam. Postremo hoc capite multa, ut ingenue fatear, vel mihi ipse pollicitus videor, quum ingentem praesertim a Cl. Vignolio contra eamdem meam, ac Pagianam etiam explicationem ex nummo Elagabali inscripto TR. P. II. COS. III. allatam, difficultatem mihi esse superandam animo reputo. Sed haud desperandum: tunc enim aliquis nobis ἀπὸ μηχανῆς forte Deus, atque praesidium.

CAPUT I.

Vulgata Dionis lectio, qua mors Elagabali, & inauguratio Alexandri statuitur mense Martio anni Ch. 222. Ejusdem lectionis restitutio a Cl. Vignolio excogitata, qua eae in mensem Julium rejiciuntur. Septem argumenta pro vulgata Dionis lectione tuenda: quorum duo hoc capite afferuntur. Primum petitur ex Senatus acclamationibus, quibus Alexandro Antonini, & Magni nomina oblata. Refellitur Cl. Vignolii opinio de tempore, quo eaedem acclamationes habitae. Secundum argumentum erutum ex novem legibus Alexandri anno primo ejus imperii editis, quae datae omnes ante mensem Julium.

AT *in alias omnes turpissimas, maximeque flagitiosas, & sanguinarias actiones* Elagabalus *usque adeo exorbitavit: ut pleraque nunquam admissa Romae, non aliter illic atque*

in patria viguerint; alia ſcelerato auſu ab aliis, atque aljis tentata, ἑκάστοις ἔτεσι τρισὶ, καὶ μησὶν ἐννέα, καὶ ἡμέραις τετράσιν ἐν αἷς ἦρξεν, *TOTOS AD TRES ANNOS ET NOVEM MENSES ET DIES QUATUOR, QUOD IN IMPERIO TEMPUS EXEGIT, numerandum a praelio, quo poteſtatem protinus omnem adſequutus eſt, floruerint*. Sic Dio lib. 79. pag. 907. edit. Hanov. tempus imperii Elagabali definit. Praelium, quo poteſtatem omnem Elagabalus conſequutus eſt, fuit proculdubio, quod cum Macrino anno Ch. 218. die VII. Junii commiſſum eſt. Macrinus enim, quum a die XI. Aprilis anni 217., quarto ſcilicet die poſt mortem Antonini Caracallae, *anno uno, duobuſque menſibus, tribus demtis diebus*, ut ait idem Dio lib. 78. pag. 905., imperio praefuiſſet, die tandem VII. Junii anni 218. pugna cum Elagabalo habita, devictus eſt. Porro numeratis a die VII. Junii anni Ch. 218. iis annis tribus, novem menſibus, ac diebus quatuor, quod tempus imperio Elagabali tribuit Dio, ejusdem Elagabali mortem, ac Severi proinde Alexandri inaugurationem, contigiſſe ſecundum Dionem, neceſſe eſt, die x. Martii anni Ch. 222.

Cl. Vignolius in Diſſert. *de anno primo imperii Severi Alexandri* pag. 89., quum ob aliquas, quas in anteceſſum praemiſerat, quaeque nobis ſuo loco expendendae erunt, rationes, plane adductus eſſet, ut crederet, Severi Alexandri initium non ante menſem Julium conſignari poſſe, textum illum Dionis, quo diſerte adeo tempus imperii Elagabali deſignatur, a librariis corruptum fuiſſe, numeroſque partim tranſpoſitos, ac partim etiam depravatos, cenſuit. Suſpicatur vero, ita labem illam in Graecum codicem induci, potuiſſe, ut τρισὶ, qui dierum numerus eſſe debuerat, annis iidem librarii adſcripſerint, τετράσι, qui an-

annorum, diebus, ac μεσὶν ἐννέα, qui numerus menſium, poſuerint pro μηνὶ ἑνὶ; perinde atque ſcripſiſſet Dio, Elagabalum imperaſſe ἔτεσι τετράσι, καὶ μηνὶ ἑνὶ, καὶ ἡμέραις τρισὶν, hoc eſt: *annis quatuor, & menſe uno, & diebus tribus*. Atque, ſecundum hanc textus Dionis reſtitutionem, imperium Elagabali, die VII. Junii anni Ch. 218. inchoatum, abſolutum tandem docet pag. 90., die XI. Julii anni 222.

Hunc librariorum errorem, etſi craſſum adeo, atque multiplicem non aegre admitterem, niſi multa, lectionem, quam vulgata omnia, tum Dionis, tum Xiphilini exemplaria praeferunt, ac tempus ipſum eadem lectione praefinitum, conſtanter retinendum ſuaderent: quae quidem ad ſeptem potiſſimum capita, ſeu argumenta, quorum aliqua in priori quoque Diſſertatione attulimus, redigemus. Primum eruemus ex tempore, quo ſecundum Lampridium Alexandro Antonini, & Magni nomina a Senatu oblata ſunt. Secundum ex novem ipſius Alexandri legum primo anno ejus imperii editarum ſubſcriptionibus. Tertium ex Canone Paſchali S. Hippolyti. Quartum ex tempore interitus ejuſdem Alexandri, ex Maximini ejus ſucceſſoris initio. Quintum ex tempore, quo Afri, ac dein S. P. Q. R. a Maximino rebellarunt. Sextum ex tempore necis ejuſdem Maximini, necnon Maximi Pupieni, & Clodii Balbini. Septimum denique ex initio, ac nece Gordiani Pii, & Philippi ejus ſucceſſoris. Duo priora argumenta hoc eodem capite pertractabimus: reliqua vero quinque in totidem diſtincta capita, quo ſingula magis enucleate explicentur, partiemur.

Primo itaque vulgata Dionis lectio, qua nex Elagabali, & Alexandri initium die decima Martii anni Ch. 222. conſignatur, ſuadetur ex Lampridio in vita Ale-

xandri cap. 6., ubi quum de Senatus acclamationibus sermo sit, quibus Alexandro, post ejus inaugurationem, Antonini, & Magni nomina oblata sunt, eas habitas fuisse docemur ante diem pridie Nonas Martias. *Intereſt* inquit, *retexere orationem, qua nomen Antonini, & Magni delatum ſibi a Senatu recuſavit, quam priusquam referam, addam acclamationes Senatus, quibus id decretum, ex actis Urbis ad pridie nonas Martias*. Quum Elagabalus secundum ipsam vulgatam Dionis lectionem die x. Martii interierit, licet dies, quo editae traduntur a Lampridio eae Senatus acclamationes, cum die necis Elagabali haud consentiat, mensis tamen omnino consentit. Hinc prioris Differt. pag. 22. animadverti, in eum Lampridii locum fortassis (quae & Tillemontii V. Cl. suspicio fuit) irrepsisse *pridie Nonas Martias*, loco *pridie Idus Martias*. Sic enim occiso die x. Martii, eademque renunciato Imperatore Alexandro, die postea XIV. ejusdem mensis ab Senatu, de Antonini, & Magni nominibus ipsi Alexandro tribuendis, recte agi potuit.

Aliam praeter laudatam, sed quae minus rei nostrae faveat, proponit in eum locum Lampridii Tillemontius observationem, nimirum eas Senatus acclamationes habitas fuisse *pridie* quidem *Nonas Martias*, non tamen ejus anni Ch. 222., quo ad imperium evectus fuit Alexander, sed quatuor aut quinque post annos, quum scilicet Imperium Persarum, de quibus vincendis, in iis etiam acclamationibus agitur, ab Artaxerxe instauratum jam fuisset. Verum conjecturam hanc, ac rationes, ad eam adstruendam a Viro doctissimo adductas satis me refutasse opinor, quum ex acclamationibus ipsis, ac responsis Alexandri, quae late a Lampridio recitantur, easdem acclamationes, ostendi,

di, tam diu post Alexandri inaugurationem differri haud potuisse.

Cl. Vignolius tamen, quo argumenti hujus, e Lampridio, sive potius ex actorum Urbis auctoritate ducti, vim elevet, pag. 67. contendit, has acclamationes habitas fuisse mense Martio, non quidem quarti, aut quinti anni post initium imperii Alexandri, neque vero anni Ch. 222., sed anni insequentis 223. Verum huic etiam opinioni repugnare omnino videntur eaedem ipsae acclamationes, quas olim Tillemontio objecimus. Quod quidem sequentibus rationibus demonstramus.

Occiso Elagabalo, qui insidias Alexandro molitus non semel fuerat, ejusque cadavere per summam ignominiam, per plateas, & cloacas tracto, ac in Tyberim tandem projecto, statim Senatus Imperatorem nuncupavit Alexandrum; cui etiam praeter morem, *& Patris patriae nomen*, ait Lampridius in vita ipsius Alex. cap. 1., *& jus proconsulare, & Tribunitiam potestatem, & jus quintae relationis*, uno eodemque die, contulit. Postquam autem omnia illa & nominum, & potestatum genera certatim decreta, collataque illi fuissent; statuit Senatus aliis, iisque clarissimis nominibus, Antonini nimirum, quod sanctum, & venerabile habebatur, & Magni, quo Alexandro Macedoni aequipararetur, eum exornare. Ita vero ex Lampridio cap. 6. gesta res fuit. *Quum Senatus frequens in Curiam, hoc est in Aedem Concordiae Templum inauguratum convenisset, rogatusque esset Aurelius Alexander Caesar Augustus, ut concineret, ac primo recusasset, quod sciret de honoribus suis agendum, deinde postea venisset, acclamatum: Auguste innocens Dii te servent. Alexander Imperator Dii te servent. Dii te nobis dederunt, Dii conservent. Dii te ex manibus impuri eripuerunt,*

Dii

Dii te perpetuent. Impurum tyrannum & tu perpessus es, impurum, & obscoenum & tu videre, doluisti. Dii illum eradicaverunt. Dii te servent .... Dii immortales Alexandro vitam: Judicia Deorum hinc apparent. Haec non nisi paucissimis diebus post necem Elagabali, quem sibi exstinctum gratulabantur, & Alexandri, de qua plurimum gaudebant, inaugurationem, dicta fuisse videntur.

Et quum egisset gratias Alexander, subjicit Lampridius cap. 7., *acclamatum est*: *Antonine Alexander Dii te servent, Antonini nomen suscipias, rogamus. Praesta bonis Imperatoribus, ut Antoninus dicaris. Nomen Antoninorum tu purifica. Quod ille infamavit, tu purifica. Redde in integrum nomen Antoninorum, &c.* Quum certatim Alexandro die, quo declaratus Imperator fuit, omnia simul & nominum, & potestatum genera, ut supra diximus, Senatus contulisset, par erat, ut neque multum, Antonini nomen eidem tribuere, morarentur. Nam etsi eam praecipue ob caussam, ut habet ipse Lampridius cap. 1., illa omnia decernere ei, festinarunt, quod *milites jam insueverant, sibi Imperatores & tumultuario judicio facere, & item facile mutare, afferentes nonnunquam ad defensionem, se idcirco fecisse, quod nescissent, Senatum Principem appellasse*: attamen huc etiam accessit *nimia & Senatus, & populi inclinatio post illam cladem*, nimirum Elagabalum; *quae non solum Antoninorum nomen decoloravit, sed etiam Romanum dehonestavit Imperium.* Quapropter ut Alexander idem Antoninorum nomen, quod summopere optabant, elueret, atque pristinae dignitati restitueret, verisimillimum est, statim post collatum imperium illi id etiam nomen obtulisse. Certe tam jucundum illis temporibus, ac tam amabile erat nomen Antoninorum: *ut*, verba sunt ejusdem

Lam-

Lampridii in vita Diadumeni cap. 6., *qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur imperium*. Atque hac de ratione Macrinus, ut scribit ibidem Lampridius, eumdem Diadumenum filium, quo exercitui, ac Senatui, Populoque Romano commendaret, Antoninum nuncupavit. Quod indicat etiam Capitolinus in vita Macrini cap. 3., ubi varias recensens caussas, ob quas Diadumenus Antoninus a patre dictus ferebatur, hanc etiam ab aliquibus adductam memorat, quod miro, atque incredibili populus, militesque hujusce nominis desiderio tenerentur. *Alii vero*, inquit *tantum desiderium nominis hujus fuisse, dicunt, ut nisi populus, & milites Antonini nomen audirent, imperatorium non putarent*. Si autem tanta Antonini nominis aestimatio tum erat, tantumque ejusdem desiderium; qui fieri potest, ut Alexandro tam diu, octo scilicet menses, secundum Cl. Vignolii opinionem, post susceptum ab illo imperium, idem nomen oblatum sit?

Recusavit Antonini nomen Alexander, atque inter alias, quas attulit excusationes, hanc etiam cap. 9. obtendit: *Nuper certe, Patres, meministis, quum ille omnium non solum bipedum, sed etiam quadrupedum spurcissimus Antonini nomen praeferret, & in turpitudine, atque luxuria Nerones, Vitellios, & Commodos vinceret, qui gemitus omnium fuerint, quum per populum, & honestorum coronas una vox esset, hunc non rite Antoninum dici, & per hanc pestem tantum violari nomen*. Quibus tamen ita Senatus respondit: *Dii mala prohibeant. Haec te imperante non timemus: de his te duce securi sumus. Certi sumus: bene praesumimus; nos te & a pueritia probavimus, & nunc probamus*. Si Alexander octo jam menses rem publicam administrasset, recte quidem ei Senatus reposuisset: *Haec te imperante non timemus: de his te duce securi sumus. Certi*

ti sumus: minime vero addere potuisset: *bene praesumimus*.

Tandem Senatus, quum Alexandrum in sua sententia fortiter perstare, animadvertisset, ita postremo acclamavit: *Alexander Auguste Dii te servent verecundiae tuae, innocentiae tuae, castitati tuae. Hinc intelligimus, qualis futurus sis. Hinc probamus: Tu facies ut Senatus bene Principes eligat. Tu facies, optimum esse judicium Senatus &c.* Nescio, an clarioribus verbis, acta haec fuisse sub prima ipsa imperii Alexandri initia, indicari potuerit.

Verum his tria argumenta opponit Cl. Vignolius laudata pag. 67. & 68., quibus ostendi existimat, eas acclamationes habitas fuisse mense Martio, non anni Ch. 222. sed insequentis 223. Primum est, quod Alexander prioribus Senatus acclamationibus responsurus in hunc modum loquitur: *Gratias vobis P. C. non nunc primum, sed & de Caesareo nomine, & de vita servata, & Augusti nomine addito, & de Pontificatu Maximo, & de Proconsulari imperio*. Quae quidem Alexandri verba *non nunc primum*, V. C. observat, eum jam antea de imperio sibi collato Senatui gratias egisse, declarare. Ita profecto; imo locum hunc prioris Dissert. pag. 20. adversus Pagium adduxeram, qui eodem die, nimirum pridie Nonas Martias, & Alexandrum, renunciatum fuisse Imperatorem, & illas habitas acclamationes, sentiebat. Si autem secundum Dionem die x. Martii imperium Alexander inierit, ac die XIV. ejusdem mensis nempe *pridie Idus Martias* eae editae acclamationes sint, nonne recte Alexander, se non tum primum gratias Senatui egisse, affirmare poterat?

Alterum argumentum est, quod inter alia, quae ibi Senatus Alexandro respondet, ac quibus eum urget, ut nomen Antonini suscipiat, petit, ut *monetae nomen*

men Antonini reddatur. Quae, si Antoninus Elagabalus, subjicit V.C., tum vivere desiisset, visa prorsus inanis petitio esset, ut id nempe reddi, ac restitui peteretur, quod amissum vix nondum fuerat. Recte iterum contra Pagium; sed non propterea eae acclamationes in Martium anni 223. rejiciendae, quum statim post mortem Antonini Elagabali, & Alexandri inaugurationem, cudi novo Imperatori sine nomine Antonini nummi potuissent, die nimirum ipso x. Martii, ac tribus etiam, si velimus, insequentibus, ac die postea XIV. peti, ut monetae Antonini nomen redderetur.

Tertium, postremumque argumentum est, quod Alexander ita rursus Senatum adloquitur: *Nuper certe, Patres, meministis, quum ille omnium non solum bipedum, sed etiam quadrupedum spurcissimus &c.* uti supra a nobis etiam recitata sunt. Atque in illa verba *nuper certe, Patres, meministis*, V.C. animadvertit, quod uti particula *nuper* rei cuipiam, quae plurium annorum remotiora tempora spectat, accomodari nequit, ita pariter verbum illud *meministis*, quo, ad memoriam de re aliqua praeterita excitandam, utimur, non dies paucos, sed aliquot mensium spatium interjectum, declarat. Priorem observationis hujus partem verissimam, certamque esse, nemo non dixerit; eaque prae ceteris ratione nos quoque prioris Dissertationis pag. 24. Tillemontii, de qua supra, opinionem rejecimus. At partem alteram non ita profecto probaverim, quum verbum illud *meministis* bene etiam de re utcumque praeterita, paucosque ante dies exacta usurpari posse, nullus dubitem. Quin ex ipsa Alexandri oratione manifestum quoque est, idem verbum non ad ea dumtaxat, quae postremis vitae suae diebus gesserat Elagabalus, sed ad totum tempus, quod in imperio turpi-

ter, ac ſcelerate adeo exegit, eſſe omnino referendum. *Nuper certe, Patres, meminiſtis, cum ille omnium non ſolum bipedum, ſed etiam quadrupedum ſpurciſſimus Antonini nomen praeferret, & in turpitudine, atque luxuria, Nerones, Vitellios, & Commodos vinceret, qui gemitus omnium fuerint &c.*

Sed nimia textui Lampridii a me vis illata Viro Cl. videtur, quod in eo pro *pridie Nonas Martias* legendum conjecerim *pridie Idus Martias*, quum inter has voces, inquit, *pridie Nonas*, & *pridie Idus*, non ea ſit literarum proportio, & analogia, quae potuerit, librariorum oculos fallere. Num majorem is locus Lampridii a me paſſus vim ſit, atque ab illo patiantur ſupra recitatae Senatus acclamationes, dum menſe Martio anni Ch. 223. eas habitas tradit, alii judicent. Id unum ſatis erit obſervare, quod quamvis inter has voces *Nonas*, *Idus*, *Calendas* nulla *literarum* proportio ſit, & analogia, eſt tamen, ſi ita licet eam appellare, *rerum* proportio, atque adfinitas, qua fit, ut ſcribentis ſimul animo occurrant, atque unam pro altera nonnumquam, nec difficile admodum poni, contingat. Sic apud hodiernos Capitolinos in vita Maximi & Balbini Cap. I., a Senatu Maximus & Balbinus electi Imperatores dicuntur VII. *Calen: Junias*. Aliquot MSS. exemplaria, inter quae Codex noſtrae hujus Abbatiae Florent. habent, VII. *Idus Junias*, alia VIII. *Idus Junias*, quamvis inter voces *Calendas*, & *Idus* nulla ſit proportio literarum. Sed & ubique eorum codicum a librariis peccatum eſt, cenſetque Pagius ad annum Ch. 236. num. VIII. ibi eſſe legendum VII. *Idus Julias*, pro VII. *Calend: Junias*. Quidni ergo ſcribi potuit a librariis in Lampridio *pridie Nonas Martias*, pro *pridie Idus Martias?* ſicuti contra in Livio lib. 29. cap. 14. ubi Mater Idaea in

aedem

aedem Victoriae Palatinae perlata fuisse traditur *pridie Idus Apriles*, conjecere dudum viri eruditi, reponendum esse *pridie Nonas Apriles*; quum ludi Megalenses in ejus Deae honorem instituti a pridie Nonas ejus mensis ad v. Idus, ut ex veteribus fastis apparet, celebrarentur. At de his acclamationibus satis.

Suadetur secundo eadem Dionis lectio, aut saltem falsa Cl. Vignolii correctio ostenditur ex novem ejusdem Alexandri legibus, quae exstant in Codice Justinianeo, primo imperii ipsius anno editis, ac signatis *Alexandro Aug. Cos.* Hae sunt L. 1. *Quando provocare non est necesse*, data VIII. *Cal. April.*, L. 4. *De contrahenda & committ. stipulat.*, data II. *Cal. April.*, L. 7. *De evictionibus*, data III. *Non. April.*, L. 3. *De his quibus, ut indign.*, data II. *Non. April.*, L. 4. *Arbitrium tutelae*, data III. *Cal. Maji*, L. 1. *Ad exhibendum*, data *Cal. Maji* L. 1. *Quibus res judicata*, data *Non. Maji*; L. 4. *De servo pignori dato*, data VI. *Id. Maji*, L. 4. *De his, qui accus. non possunt*, data XVI. *Cal. Jul.* Non dubium est, has leges editas ab Alexandro fuisse primo imperii sui anno; hoc est Ch. 222., quo Consules fuere Antoninus Elagabalus IIII. & ipsemet Alexander, qui ideo in iis subscriptionibus nomen collegae Elagabali reticet, quod ex annalibus ipsis Senatus auctoritate idem erasum jam fuisset.

Verum equidem est, in ejuscemodi legum subscriptionibus menda nonnumquam reperiri. Sic est lex ipsius Alexandri 3. *De his qui accusare non possunt*, quae data cernitur III. *Non. Febr.*, quo tempore, exploratum est, nondum exstinctum fuisse Elagabalum, neque leges proinde ferre Alexandrum potuisse. Sic & lex ejusdem 7. *De evictionibus*, quae data VIII. *Idus Mar.*, quo die, per me etiam, nondum sublatus erat Elagabalus, quum eum occisum dixerimus die decima ejus

mensis. At si mendosae aliquae legum subscriptiones, num omnes propterea mendosae habendae erunt; omnesque repudiandae? Sane, si vitiatus textus Dionis, si vitiatae hae novem legum subscriptiones, imo vero si & aliae quadraginta quatuor, quas infra afferemus, vitiatae sint, dicendum, ad ea pene omnia, quae ad Alexandri initium statuendum pertinere poterant, vitianda librarios omnes conspirasse. Sed parum est, librarios omnes ad haec vitianda conspirasse. Conspiraverunt & qui Canonis Paschalis S. Hippolyti Cathedrae hujus marmoreae insculpendi curam susceperunt: quod tertium argumentum est ad vulgatam Dionis lectionem, ac tempus imperii Elagabali in ea adsignatum confirmandum, de quo capite sequenti.

CAPUT II.

Argumentum ex Canone Paschali S. Hippolyti, in quo Idibus Aprilis anni Ch. 222. Sev. Alexander jam Imperator exhibetur. Ingeniosa Cl. Vignolii ad idem argumentum responsio. Quatuor hypothesibus eadem responsio innititur, quarum singulae expenduntur, & refutantur. Alter Canon Paschalis Hippolyteo plane similis D. Cypriano adscriptus.

INter praestantiora Ecclesiasticae antiquitatis monumenta eruditorum omnium judicio merito recensetur Cathedra marmorea S. Hippolyti Portuensis Episcopi, quae olim, ut cuique sat notum, in agro Verano prope Aedem S. Laurentii inventa, in Bibliothecam postea Vaticanam illata fuit. In hujus Cathedrae lateribus Canon Paschalis ejusdem S. Antistitis, duobus Cyclis Sedecennalibus comprehensus, de-

descriptus est: ac prior Cyclus, qui est Lunarum Quartarum decimarum, dextroque lateri inscriptus est, sic incipit: ΕΤΟΥϹ. Α. ΒΑϹΙΛΕΙΑϹ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ. ΕΓΕΝΕΤΟ. Η. ΔΙ. ΤΟΥ ΠΑϹΧΑ. ΕΙΔΟΙϹ. ΑΠΡΕΙΛΙΑΙϹ. ϹΑΒΒΑΤω. ΕΜΒΟΛΙΜΟΥ. ΜΗΝΟϹ ΓΕΝΟΜΕΝΟΥ. hoc est. *Anno* I. *imperii Alexandri Imperatoris facta est XIV. Paschae Idibus Aprilibus Sabbato, quum mensis embolimaeus fuisset.* Alter vero Cyclus, qui est Dominicarum Paschalium, ac in sinistro Cathedrae latere insculptus est, incipit: ΕΤΕΙ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙϹΑΡΟϹ. Τω. Α. ΑΡΧΗ. *Anno Alexandri Caesaris* I. *initium.* Ut itaque eximio hoc monumento initium imperii Alexandri certo definitur anno Ch. 222. Cyclo Solis VII. Luna XIV. lit. Dom. F., quo nimirum Idus Apriles in Sabbatum, ac quarta decima Paschalis in ipsas Idus re vera incurrerunt: ita ante easdem Idus Apriles ejus anni imperium jam adeptum fuisse Alexandrum perspicue docemur. Si enim nondum eo die imperare coepisset Alexander, sed in vivis adhuc fuisset Elagabalus, quomodo *anno primo imperii Alexandri Idibus Aprilibus* quartam decimam Paschae extitisse, tradere potuisset Hippolytus?

His quidem reclamat Cl. Vignolius, aitque inscriptionem hanc, seu notam temporis Canoni Paschali S. Hippolyti praefixam, non ipsi Hippolyto, qui Alexandri quidem aevo inclaruit, esse adscribendam, sed ei potius, qui eumdem Canonem in Cathedra marmorea insculpi curavit. Atque ita quidem rem totam concinne disponit. Chronicon scripserat Hippolytus usque ad annum primum imperii Alexandri, eique Chronico Canonem ipsum Paschalem subjecerat. In hanc rem S. Hieronymum, & Eusebium laudat. Hieronymus De Scriptor: Eccles. cap. 41. *Hippolytus,* inquit, *cujusdam Ecclesiae Episcopus (nomen quippe urbis,*

urbis, scire non potui) rationem Paschae, temporumque canones scripsit usque ad primum annum Alexandri Imperatoris, & sedecim annorum circulum, quem Graeci ἑκκαιδεκαετερίδα *vocant, reperit*. Eusebius vero lib. 6. Hist: Eccles: cap 16. Τότε δῆτα καὶ Ἱππόλυτος συντάττων μετὰ πλείστων ἄλλων ὑπομνημάτων, καὶ τὸ περὶ τοῦ πάσχα πεποίηται σύγγραμμα, ἐν ᾧ τῶν χρόνων ἀναγραφὴν ἐκτεθειμένος, καὶ τινα κανόνα ἑκκαιδεκαετερίδος περὶ τοῦ πάσχα προθεὶς ἐπὶ τὸ πρῶτον ἔτος αὐτοκράτορος Ἀλεξάνδρου τοὺς χρόνους περιγράφει. *Eo sane tempore*, vertit Cl. Vignolius, *& Hippolytus praeter plerosque commentarios, quos componebat, opus etiam de Paschate conscripsit, in quo & temporum seriem explanat, & canonem quemdam sedecim annorum de Paschate ponit, & temporum solum describit ad primum annum Imperatoris Alexandri*. Ex Hieronymo colligit V. C., rationem Paschae, temporumque canones quos scripsit Hippolytus, alios prorsus fuisse a Canone, seu Cyclo sedecim annorum, ab eodem composito, quum anno primo imperii Alexandri hic incoeperit, illi vero eo anno desierint. Ex Eusebio autem infert, eidem operi de Paschate post Chronicon, qualem fuisse eam temporum explanationem existimat, Canonem Paschalem sedecim annorum insertum fuisse. His praemissis, vero admodum simile V. C. esse affirmat, S. Hippolytum annum, sub quo Chronicon suum absolvit, quique Eusebio & Hieronymo testibus, primus fuit imperii Alexandri, anno Consulari, hoc est Consulibus ejus anni, qui Antoninus IIII. & Alexander fuere, designasse. At quoniam post Chronicon juxta praedicta Canon Paschalis subsequens erat, qui ab eodem anno auspicabatur, hinc credi etiam posse arbitratur, notam temporis, quae eadem pro fine Chronici, & initio Canonis erat, ipso initio Canonis haud repetitam fuisse, sed tantum scriptum: ΕΤΟΥΣ ΑΥΤΟΥ sive ΤΟΥΤΟΥ *hoc anno*, scilicet Antonino

no

no IIII. & Alexandro Cofs. *Decima quarta Paſchae fuit Idibus Aprilibus Sabbato &c.* Qui vero poſtea, ſubjicit V. Cl., in Cathedra marmorea Canonem inſculpi curavit, ut notum faceret, cum quo anno, qui in tabula Paſchali primo ſignatur, concurreret, pro anno Conſulari, Imperii annum ex Chronico forſan accepit, & loco ΕΤΟΥϹ ΑΥΤΟΥ. *hoc anno*, ΕΤΟΥϹ. Α. ΒΑϹΙΛΕΙΑϹ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ: *Anno primo imperii Alexandri Imperatoris* in latere dextro Cathedrae poſuit, & in ſiniſtro: ΕΤΕΙ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙϹΑΡΟϹ Τῳ. Α. ΑΡΧΗ. *Anno Alexandri Caeſaris primo initium*.

Contra ingenioſiſſimam hanc viri doctiſſimi explicationem plura jam conjecit vir itidem doctiſſimus Philippus a Turre Adriae Praeſul Illuſtriſs. in Differt. *De annis imperii M. Aur. Antonini Elagabali &c.* pag. 83. & ſeqq., quorum aliqua quum, ſtatim ac Cl. Vignolii Diſſertatio prodiit, mihi quoque una cum aliis pauculis obſervata fuerint, eadem hoc loco, ac quidem breviſſime exponere liceat.

Quatuor, ut patet, praeclara illa Vignolii ratiocinatio hypotheſibus innititur. Prima eſt, S. Hippolytum Chronicon ſcripſiſſe, cui Canonem poſtea Paſchalem ſubjecerit. Secunda, annum, in quo idem Chronicon deſinit, deſignaſſe anno Conſulari. Tertia, notam anni Conſularis, quam ſub finem Chronici poſuerat, quum Canonem poſtea incoepit, non iteraſſe, ſed ſcripſiſſe tantum ΕΤΟΥϹ ΑΥΤΟΥ, ſive ΤΟΥΤΟΥ. *Hoc anno*. Quarta denique, eum, qui in Cathedra Canonem inſculpi curavit, loco ΕΤΟΥϹ ΑΥΤΟΥ *hoc anno* ſcripſiſſe ΕΤΟΥϹ. Α. ΒΑϹΙΛΕΙΑϹ *&c. anno* I. *imperii &c.* Jam vero quam firmae, aut probabiles ſaltem, hae hypotheſes ſint, videamus.

Quod ad primum adtinet, etſi non dubitem, Chronicon

con quodpiam ſcripſiſſe Hippolytum, Chronicon tamen illud fuiſſe, quod τῶν χρόνων ἀναγραφὴν *temporum explanationem* appellat Euſebius, ac cui Canonem Paſchalem idem Hippolytus ſubjecit, multum dubitaverim. Chronici enim peculiaris mentio fit in indiculo operum S. ejuſdem Antiſtitis dextri Cathedrae lateris margini inſcripto verſu 12. hoc modo: ΧΡΟΝΙΚΩΝ, alterius vero operis mentio pariter peculiaris fit verſu 18. 19. 20. ſic:

ΑΠΟΔΕΙΞΙC ΧΡΟΝΩΝ
ΤΟΥ ΠΑCΧΑ
ΚΑΤΑ ΕΝ ΤΩ ΠΙΝΑΚΙ.

hoc eſt: *Demonſtratio temporum Paſchatis ſecundum ea, quae in tabula*. Quod ipſum opus de Paſchate videtur, cujus meminit Euſebius, dum, *opus etiam*, inquit, *de Paſchate conſcripſit, in quo & temporum ſeriem explanat, & Canonem quemdam ſedecim annorum de Paſchate ponit*. In hoc enim opere demonſtraſſe eum putaverim, quot anni a primo Paſchate, hoc eſt ab egreſſu Iſraëlitarum ex Aegypto uſque ad annum primum imperii Alexandri, unde ſuum Canonem exordiebatur, fluxiſſent, late ejuſdem ſui Canonis rationes, ac methodum expoſuiſſe, ac poſtremo Canonem ipſum rite in pinace, ſeu tabula deſcripſiſſe; quemadmodum re ipſa egit Auctor Opuſculi, cui titulus: *Expoſitio Biſſexti*, aut *Caecilii Cypriani de Paſcha computus*, in fine Operum ipſius S. Cypriani editionis Oxonienſis primum impreſſi: in quo Canon alius Paſchalis huic noſtro Hippolyteo plane ſimilis proponitur, & demonſtratur. Eſt hic quoque ſedecim annorum: eumdemque in modum, quo Canon Hippolyti, hoc eſt per ſeptem Heccaedecaëteridas, ſeu annos CXII., diſtributus eſt, licet ceteroqui non ab eodem, atque ille, capite exordiatur, ac tum in die primo menſis primi, tum in aetate Lunae ab eo diſcrepet. Quod

Quod ad secundum, esto verum sit, temporum explanationem, de qua loquitur Eusebius, Chronicon fuisse, temere tamen omnino affirmatur, Hippolytum annum, quo idem Chronicon desiit, anno Consulari designasse. Quum enim Eusebius, & Hieronymus diserte tradant, illum eam temporum explanationem ad primum annum imperii Alexandri perduxisse, nullam vero Consulum mentionem injiciant, credere par est, illum eum potius in modum, hoc est per annum primum imperii Alexandri id tempus designasse, quam per Consules.

Quod ad tertium, esto iterum annum, quo suam temporum explanationem absolvit, anno Consulari notaverit Hippolytus, attamen verisimile non est, quum Canonem postea Paschalem subjecit, nullam ejus initio peculiarem, distinctamque temporis notam adposuisse, sed tantum scripsisse ΕΤΟΥϹ ΑΥΤΟΥ, sive ΤΟΥΤΟΥ *anno hoc*. Etenim, etsi priori operi hoc secundum is subtexuisset, attamen quum aliud prorsus ab illo hoc esset, ut fatetur, imo colligit ipse Cl. Vignolius ex D. Hieronymo, absurdum profecto videtur, ut eo modo, novum illud, diversumque opus aggressurus, tempus initio indicaverit. Sane, etsi facinus id quodpiam fuisset, quod eodem anno, quo desiit Chronicon, contigisset, si peculiari illud historia, discretaque ab Chronico narratione recensere aggressus fuisset, nunquam ego adducar, ut credam, ita illud fuisse Hippolytum auspicaturum. Hoc autem non aliquod facinus est, neque aliqua historia, sed Canon, seu Cyclus ab illo quidem anno incipiens, sed per XVI. annos septies ductus, in annum tandem CXII. desinens, quem probabile admodum est, pro Ecclesiarum, aut eius saltem, cujus ipse erat Episcopus, usu Hippolytum condidisse, ut omnibus nimirum pateret, quo die ce-

lebrari singulis annis Pascha oporteret. Quis autem dixerit Canonem hujusmodi, hoc fine, hoc consilio institutum, conditumque, eo modo incoeptum fuisse; tempusque, a quo ille exordiebatur, eo modo fuisse inindicatum? Ceterum juxta ea quae superius diximus, Canonem hunc non opus diversum fuisse existimo a *ratione Paschae, ac temporum Canonibus*, quos, uti loquitur S. Hieronymus, scripsit Hippolytus, sed illum ipsum Canonem in ea ratione Paschae explicatum fuisse, censeo, ac postremo ad ejus calcem rite in pinace ordinatum, descriptumque: in eum ferme modum, quo Canon S. Cypriano adscriptus in *Expositione Bissexti*, seu *Computo de Pascha*, de quo supra, explicatur, ac in fine pariter in tabella, quam confusam licet, & depravatam ex Codice Rhemensi edidit Jo. Fellus, exhibetur.

Quod denique ad quartum, esto rursus, ea, qua censet Vignolius, ratione Canonem suum principio inscripserit Hippolytus; quare postea qui Cathedrae eum insculpi curavit pro ΕΤΟΥϹ ΑΥΤΟΥ, sive ΤΟΥΤΟΥ *anno hoc* posuit ΕΤΟΥϹ. Α. ΒΑϹΙΛΕΙΑϹ *&c. anno* I. *imperii &c.* Si Hippolytus annos Chronici annis Consularibus notavera, cur, pro ΕΤΟΥϹ ΑΥΤΟΥ aut ΤΟΥΤΟΥ *anno hoc*, scribi curator non jussit ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ. Δ. ΚΑΙ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΥΠΑΤ. *Antonino* IIII., *& Alexandro Coss.* sicuti per Cl. Vignolium annum illum in Chronico signaverat Hippolytus? Id enim experientiae, & rationi maxime consentaneum videtur, ut quum similem notam deprehendimus, ad aliam priorem, ad quam haec refertur, statim conquirendam excurramus. Sed *pro anno Consulari*, ait Cl. Vignolius, *imperii annum ex Chronico forsan accepit*. Acceperit vero: igitur initium imperii Alexandri in Chronico curator vidit, viditque proinde, quo die, ac quo Mense

se idem initium ab Hippolyto fuerat consignatum. Si autem consignatum illud vidit die XI. Julii ejus anni, quae est ipsius Vignolii de ejusdem imperii initio sententia, cur nobis ipsum Alexandrum Idibus Aprilibus jam imperantem, semel, iterum que, in dextro scilicet, ac finistro Cathedrae latere, postea exhibuit? Si Idibus ergo Aprilis anni Ch. 222. eo in Canone jam Imperator exhibetur Alexander, ejus initium rejici cum Vignolio non poterit in mensem Julium.

CAPUT III.

Argumentum ex tempore necis Alexandri, & initio Maximini. Germanica Maximini Victoria relata aestate anni Ch. 235. non vero, ut sentit Cl. Vignolius, aestate anni 236. Hiems, quam Sirmii post eamdem victoriam Maximinus egit, fuit, quae subsequuta aestatem anni 235. Ex quibusdam Inscriptionibus colligitur, Maximinum praeter Germanicum bellum, Sarmaticum quoque & Dacicum confecisse. Exstant nummi ejusdem Maximini cum titulo Germanici, qui cusi videntur ante annum 236. Nummi Maximini cum Tr. P. II. sine titulo Germanici non probant eum Victoriam Germanicam non retulisse nisi post eamdem Tr. P. II. initam.

SEveri Alexandri initium e tempore ejus necis, ac Maximini ejus successoris exordio nunc eruendum. Imperavit Alexander *annos tredecim, & dies novem*, ut docet Lampridius in ejus vita cap. 9., a quo haud multum dissentit Eutropius lib. 7. cap. 14., qui *tertio decimo imperii anno, & die octava* periisse eum tradit. Hinc Cl. Vignolius, ut natalem imperii Alexandri die XI. Julii anni Ch. 222. pag. 90. consignavit, ita ejus interitum die circiter XX. ejus-

dem mensis Julii anni Ch. 235. definivit: ut nos contra, quemadmodum cum Dione renunciatum Imperatorem eumdem Alexandrum tradidimus die x. Martii ejus anni Ch. 222. ita extinctum illum affirmamus circa diem xix. Martii anni 235. Uter ergo nostrum rectius id tempus statuerit, expendamus.

Quum Alexander adversus Germanos, qui Rhenum ac Danubium, ut narrat Herodianus lib. 6. cap. 7. transgressi, hostiliter Romanos in fines intraverant, expeditionem suscepisset, Maximini opera, interfectus est. Post ejus mortem milites Imperatorem Maximinum statim acclamarunt; qui una postea cum exercitu, quem Alexander deduxerat, plurimumque ipse auxerat, hostilem agrum ingressus tanta clade Germanos affecit, ut horum pene nullus, eodem Herodiano teste lib. 7. cap. 2., reliquus fuerit.

Hanc victoriam aestate, seu *maturis jam segetibus* a Maximino reportatam fuisse, aperte eodem loco tradit Herodianus. Quum autem non multo post susceptum a Maximino imperium habita videatur, hinc prioris Dissertat. pag. 32. argumento hoc usus fui, ut falsitatis arguerem Mediobarbi & Vaillantii sententiam, qui relicta Dionis opinione, de tempore necis Elagabali, & initio imperii Alexandri, in mensem Septembrem ipsius Alexandri mortem rejiciebant. Haec eadem ratio aeque urget novam Cl. Vignolii opinionem, qui secundum abs se cogitatam textus Dionis restitutionem Alexandrum interfectum docet die circiter xx. mensis Julii. Si enim Maximinus nonnisi circa eum diem mensis Julii anni Ch. 235. imperium auspicatus sit, nullo certe modo aestate ejusdem anni, seu quo tempore maturae jam segetes essent, id bellum inferre Germanis potuisset. Hoc ultro quidem concedit V. Cl. pag 82., sed negat eam victoriam relatam fuisse aesta-

aestate ejus anni Ch. 235., atque ad aestatem anni insequentis 236. illam esse referendam. Nonnulla vel contra hanc de tempore, quo habita Germanica illa victoria, opinionem, quam Mediobarbus pariter ac Vaillantius tradidere, adduxeram; quae tamen in medium iterum afferre, magisque, si fieri poterit, constabilire haud erit supervacaneum.

Pontem construxerat Maximinus, ait Herodianus lib. eodem cap. 1., *supra flumen, qua adversus Germanos transiret. Ut enim primum summam rerum suscepit* (εὐθέως πολεμικῶν ἔργων ἤρξατο) *statim bellica facinora aggressus est. Siquidem ob immanem corporis staturam, & militare robur, ac peritiam pugnandi, adscitus ad imperium, re ipsa famam confirmare, atque opinionem militum, tendebat, ut metum illum, atque cunctationem Alexandri in praeliis capessendis jure improbatam fuisse coargueret.* Ex hoc Herodiani testimonio duo perspicue colligimus. Primum, statim post initum imperium Maximinum sedulo omnia, ad bellum Germanis inferendum, paravisse: alterum curae illi, ut idem bellum quantocius inferret, fuisse, tum, ut quam sibi in re militari jam comparverat, existimationem tueretur, tum ut moram cunctationemque Alexandri in eodem bello gerendo, jure militibus, qui eum necaverant, improbatam, damnatamque, ostenderet. Eadem habet Lampridius in Maximinis duobus cap. 10. Ac licet ab eodem bello suscipiendo Maximinus retardatus aliquantulum fuisset ob duas in eum conflatas conjurationes, hae tamen haud diuturnae fuere. Prior namque, quae etiam incertum, ut testatur Herodianus, verane fuerit, an fraude per Maximinum composita, a Magno viro patricio, & consulari, quum primum conditus pons fuit, structa dicebatur: ipsumque Magnum, una cum omnibus, qui suspicione ali-

qua

qua laborabant, citra judicium, aut accusationem ullam, corripi jussit Maximinus, ac interfici. Altera vero defectio fuit Osrhoënorum, qui quum *magnopere indoluissent*, ait idem Herodianus, *Alexandri nece, ac forte fortuna in consularem quemdam ex illius amicis, cui nomen Quartino fuit, paullo ante e castris a Maximino dimissum, incidissent, correptum, atque retractantem, Ducem sibi delegerunt*. Sed hic etiam Quartinus paullo post occisus est. *Qui tamen haud diu post*, subjicit Herodianus, *in tabernaculo dormiens a contubernali quodam suo, & (ut credebatur) amico, per insidias occiditur*. Quum igitur Maximinus, simul atque imperii potitus est, ad bellum Germanis inferendum, omni studio, & alacritate se comparasset, neque vero, quae in exercitu obortae fuerunt, defectiones, multum ei temporis eripuisse, videantur, verisimile non est, in aestatem usque anni insequentis illum id praelii distulisse.

Praeter reportatam de Germanis victoriam alia item praelia gessit Maximinus, *quibus omnibus ipse manu pugnam capessens*, ait eodem capite Herodianus, *ac fortissime dimicans explendescebat. Multisque captivis, atque ingenti abacta praeda, instante hieme in Pannoniam reversus est: intraque urbem Sirmium, quae maxima omnium ejus regionis habetur, in hibernis agens ad vernam sese expeditionem comparabat: identidem minitans (id quod etiam praestiturus videbatur) excisurum, subacturumque Oceano tenus omnes Germanas barbaras nationes*. Hiems, qua instante in Pannoniam reversus est Maximinus, non alia fuisse videtur, quam quae aestatem anni Ch. 235. proxime subsequuta est. Siquidem quum Herodianus eod. lib. cap. 3. late saevissimam, quam in Pannonia agens Maximinus, Germanica maxime, ut credere par est, victoria insolens factus, in Romanos, subjectasque omnes nationes exercebat, tyran-

rannidem descripsisse, ita denique cap. 4. subjicit: *Hujuscemodi igitur causae, minime profecto leves, ad odium, ac defectionem populos proritabant. Ceterum votis tantummodo agebant, laesa implorantes numina; nullo scilicet audente profiteri se vindicem: donec exacto* (seu ut cap. seq. dicemus: *inito*) *imperii triennio, exigua, levique occasione, ut sunt lubricae tyrannorum res, primo arma sumserunt, rebellaruntque Afri.* Quibus sane verbis intelligimus diu, ac non paucis tantummodo mensibus ante Afrorum rebellionem odium populos in Maximinum concepisse. Hanc autem Afrorum defectionem exploratum est, ut cap. seq. ostendemus, contigisse circa mensem Aprilem, aut Majum anni Ch. 237. Igitur hiems, qua in Pannoniam se recepit Maximinus, fuit, quae aestatem anni Ch. 235. subsequuta est, non quae subsequuta aestatem anni insequentis 236., a qua profecto hieme, usque ad mensem Aprilem, aut Majum anni 237. non id temporis spatium interjectum est, quo tyrannidem, caedesque, quas narrat Herodianus, exercere Maximino licuisset, conceptumque in illum odium populi diutius cohibere animo potuissent. Neque vero caedes, quas post descriptum bellum Germanicum recenset ipse Herodianus, ante bellum ipsum Germanicum, patratas fuisse, dicendum est. Siquidem etsi ante id bellum, imo statim post mortem Alexandri *moribus perinde, ut genere barbarus*, quemadmodum ait idem Herodianus lib. 7. cap. 1. *patrioque instituto caedis avidissimus, ad id potissimum dabat operam, ut imperium sibi saevitia constabiliret*: attamen verisimile non est ante idem bellum, victoriamque Germanicam, eam saevitiam, immanemque tyrannidem in universum Romanum imperium, quo tempore praesertim omni cura, studioque se ad illud praelium comparabat, exercuisse. Si autem hiems,

cu-

cujus meminit Herodianus, fuit anni Ch. 236., victoria quoque Germanica habita erit aestate anni Ch. 235.

At si haec victoria, forte rogabis, aestate anni Ch. 235. reportata est, quid demum egit Maximinus toto anno insequenti postquam in Pannoniam reversus est? Quo ejus minae, omnium Germaniae nationum Oceano tenus excidendarum, reciderunt? Quae verna fuit expeditio, ad quam in hibernis Sirmii agens, se comparavit? Quid egerit tum Maximinus, narrat ipse Herodianus toto cap. 3., nimirum subditorum caedibus, divitum familiarum exspoliationibus, opum publicarum, templorum expilationibus, per summam avaritiam, atque impietatem vacavit. Sed & alia praelia eum gessisse praeter Germanicum, docet, ut supra diximus, Herodianus; quorum aliqua, postquam eam hiemem in Pannonia egit, suscepisse, non inverisimile. Imo Capitolinus in Maximinis duobus cap 13. tradit, Maximinum, quum debellatis Germanis Sirmium venit, Sarmatis bellum inferre, paravisse. *Pacata Germania*, inquit, *Sirmium venit, Sarmatis inferre bellum parans; atque animo concupiens, usque ad Oceanum septentrionales partes in Romanam ditionem redigere*. Quod Sarmaticum bellum, licet neque ipse Capitolinus ab eo postea gestum fuisse, commemoret, illud tamen, imo & bellum Dacicum gestum re vera fuisse, colligi videtur ex aliquot ipsius Maximini, ejusque filii Inscriptionibus, in quibus non solum Germanici Maximi, sed & Dacici Maximi, atque Sarmatici Maximi nomina iis tribuuntur. Harum binas affert Gruterus, alteram pag. CLI. 5., & alteram pag. CLVIII. 6., quarum tamen prior, in qua primo versu *MAXIMVS* pro *MAXIMINVS* scribitur, & versu tertio idem Maximinus *TRIB. POT. V.*, & *IMP. VII.* dicitur pro spu-
A itia ria, ac supposit‸ habenda est, quum neque Tribuni-

tiam

tiam Pot. V. ille unquam inierit, neque uſpiam in aliis monumentis *IMP.* cum aliquo numero ſignatus deprehendatur; id quod etiam obſervat Jo: Mallonius Vir doctiſs. in *Variorum corrigendis, & animadvertendis*, quae ab Eduardo Holteno V. C. collecta in nova Operis Gruteriani editione Amſtelaedamenſi, in fine adjecta ſunt. Poſterior vero ita ſe habet:

Invia Ulyſſipone Emeritam verſus, juxta diverſorium, quod Meſtas vocant, columna.

IMP. CAES. CAIVS . IVLIVS
VERVS . MAXIMINVS . PIVS . FE
LIX . INVICTVS . AVG. PONT
MAX. PATER . PATRIAE . TRI
BVNICIAE . POTESTATIS . TER. COS
GERMANICVS . MAX. DACICVS
MAX. SARMATICVS . MAX. ET
C. IVLIVS . VERVS . MAXIMVS
NOBILISS. CAESAR PRINCEPS
IVVENTVTIS . GERMANICVS . MAX
DACICVS . MAX. SARMATICVS . MAX
IMP. CAES. CAI . IVLI . VERI . MAXI
MINI . PII . FEL. AVG. GERMANICI
MAX. DACICI . MAX. SARMATI
MAX. FORTISSIMI . CAESA-
RIS . FILIVS

Quatuor alias habet Sponius in Miſc. erud. antiq. pag. 186. & 187., quae in quatuor columnis milliariis Fori Seguſianorum, vulgo *Feurs*, repertis, inſculptae ſunt, ac duae quidem priores ſoli Maximino dicatae ſunt, duae vero reliquae Maximino, & ejus filio, uti ſuperior, quae apud Gruterum, & in his duabus pariter idem ipſe Maximinus *TRIB. POT. III.* inſcribitur.

Quin ſi verum eſt, ut ex his Inſcriptionibus evinci videtur, Maximinum Dacicum, & Sarmaticum bellum

confeciſſe, haec proculdubio, aut Sarmaticum ſaltem, confecerit, neceſſe eſt, poſtquam relata victoria Germanica *inſtante*, ut ait Herodianus, ***bieme in Pannoniam reverſus eſt***, Sirmiumque, ad vernam ſeſe expeditionem comparaturus, conceſſerat. Namque ***pacata Germania***, ait, ut ſupra, Capitolinus, ***Sirmium venit, Sarmatis bellum inferre parans***. Quomodo autem conficere id bellum potuiſſet, ſi hiems, quam Sirmii exegit, fuit, quae ſubſequuta aeſtatem anni 236., quum menſe poſtea Aprili, aut Majo anni 237. Afri ab eo rebellarunt, eodemque menſe Majo Senatus Populuſque Rom. hoſtem eum, Gordiano Auguſto nuncupato, declararunt? Ubi enim haec ei nunciata fuere, & quidem ante ejuſdem Gordiani mortem, quae non multo poſt, ut inferius dicemus, contigit, ***dato*** militibus *ſtipendio, & quidem ingenti, Romam verſus proficiſci coepit*, ut aperte tradit Capitolinus cap. 18., cui conſentit quoque Herodianus lib. 7. cap. 8. Si autem hiems, qua *inſtante* ſe Sirmium recepit Maximinus, fuit quae ſubſequuta aeſtatem anni 235., recte eamdem poſt hiemem id Sarmaticum bellum, ut & Dacicum, ob quae nempe in laudatis Inſcriptionibus *DACICVS MAXIMVS*, & *SARMATICVS MAXIMVS* dicitur, conficere potuiſſet.

Quod ſuperius recitatis Herodiani teſtimoniis demonſtravimus, idem duobus Maximini nummis apud Goltzium, in Theſaur. rei antiq. pag. 101., videtur comprobari. Prior in antica parte ita inſcriptus eſt: *MAXIMINVS PIVS AVG GERM.* in poſtica vero: *P. M. TR. P. P. P.* Alius in priori parte habet: *IMP. MAXIMINVS. PIVS AVG. GERM.* in averſa vero, ut in priori nummo *P. M. TR. P. P. P.* Porro cuſi hi nummi videntur ipſo anno Ch. 235. quum nondum ſcilicet Conſulatum Maximinus iniiſſet; unde fit, ut in poſti-

cis

cis eorum partibus post *TR. P.* titulus *COS.*, quem Calendis Januariis anni insequentis 236. postea obtinuit, haud inscribatur. Etsi enim non semper in Latinis nummis is titulus Imperatoribus, quamvis Consulatum ceteroqui susceperint, tribuatur, quod certe contingit, quum in postica parte typus aliquis cum sua peculiari inscriptione repraesentatur: nihilominus tamen quum in posticis iisdem partibus *P. M. TR. P.* exprimitur, titulus etiam *COS.*, si Consulatum quidem semel illi Imperatores susceperint, ut plurimum, sub illa saltem tempora, adponi solet. Quare si cusi sunt duo ii nummi anno Ch. 235. atque in illis Maximinus *Germanici* nomine honestatur, palam fit, eodem anno 235. victoriam ipsam Germanicam reportatam fuisse. Ut tamen ingenue fatear, argumentum hoc, quo in priori quoque Dissert. cap. III. pag. 33. usus fui, non adeo certum videtur: quum idem Consulis titulus in nummis, quum etiam *TR. P.* effertur, etsi raro, aliquando tamen, si hi quidem nummi recte ab antiquariis descripti sunt, omittatur, ut patet ex nummo Elagabali apud Mediob. pag. 312. inscripto: *P. M. TR. P. III. P. P. S. C.*

Fateor etiam, plures ejusdem Maximini nummos exstare, in quibus Tribunitia illius Pot. II. exhibetur, neque tamen Germanica appellatione ipse Maximinus insignitur. Horum aliquot recitat Medjobarbus pag. 328 & 329. alterumque e suo museo profert Cl. Vignolius pag. 33. Verum multo minus hinc inferri existimem, ut eadem pagina infert V. Cl., Maximinum Germanicam victoriam non retulisse, nisi postquam ille Tribunitiam Pot. II. anno Ch. 236. iniisset. Profecto infinitus sim, si nummos omnes Imperatorum percensere velim, in quibus similia nomina, titulive, quibus illi decorati jam fuerant, praetermittuntur. Septi-

 mius

mius Severus, & Antoninus Caracalla, ut haec tantum exempla adhibeam, *Parthici Maximi* nomine exornati sunt, quum ille Tribunitiam Pot. VII. gereret, hic vero Tribunitiam Pot. IV. Sic apud Mediob. pag. 273. exstant nummi Severi inscripti in priori parte: *SEVERVS PIVS AVGVSTVS*, in posteriori: *PARTH. MAX. P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P.*, & pag. 286. habentur nummi Caracallae, qui ex una parte: *ANTONINVS PIVS AVG.* ex altera: *PARTH. MAX. TR. P. IIII.* Sed videas apud eumdem Mediob., quot nummi Severi sint, cum *TR. P. VIII.*, *VIIII.*, & sequentibus, nec non Caracallae cum *TR. P. V.*, *VI.*, & sequentibus, in quibus id *Parthici Maximi* nomen reticetur. Idem Caracalla, quum Tribunitiam Pot. XIII. iniisset, *Britannicus* cum Severo, & fratre Geta dictus est; & quum esset Tribunitiae Pot. XVI. *Germanicus*: ac sunt nihilominus ejus nummi apud Mediobarbum cum *TR. P. XIIII.* sine titulo *Britannici*, ut nummi cum *TR. P. XVII.*, & *XVIII.* sine titulo *Germanici*. Quid plura? Prostant passim in museis, ac apud Mediobarbum nummi ipsius Maximini, qui in aversa parte inscripti sunt: *VICTORIA AVG.*, *VICTORIA GERMANICA*; ac in priori parte modo praeferunt: *MAXIMINVS PIVS AVG. GERM.* modo: *IMP. MAXIMINVS PIVS AVG.* tantum, sine nomine *Germanici*. At ad alterum argumentum, ex tempore, quo Afri, ac dein universus orbis Romanus in saevissimum tyrannum arma sumserunt, petitum, sequenti capite examinandum progrediamur.

CA-

CAPUT IV.

Argumentum ex tempore, quo Afri, ac dein totus orbis Romanus a Maximino rebellavit. Pagii opinio de Afrorum defectionis tempore. Gordianus ab Afris Imperator renunciatus confirmatur Romae a Senatu die XXVII. *Maji anni Ch* 237. *Biennium tum regnaverat Maximinus. Aliquae Maximini Inscriptiones cum TR. P. III. Sponii in ejusdem Maximini Inscriptiones Fori Segusianorum repertas observatio. Gordiano non multo post fato functo Romae die* IX. *Julii ejusdem anni* 237. *Maximus & Balbinus a Senatu eliguntur.*

Quum Maximinus diu suae crudelitati, atque avaritiae indulsisset, odiumque in se universorum jam concitasset, Afri tandem rebellarunt, ac Gordianum Africae Proconsulem apud oppidum Tysdrum Imperatorem declararunt. Haec circa diem XII. Aprilis anni Ch. 237. gesta fuisse, opinatur Pagius in Crit. Bar. ad annum Ch. 236. num. 6. Siquidem quum post aliquot dies Carthaginem Gordianus contendisset, prodigiis quibusdam, quae sub illis diebus acciderunt, avertendis, operam dedit. *C. Julius Maximinus*, ait Victor de Caesaribus, *praesidens Trebellicae . . . potentiam cepit suffragiis legionum . . . filiusque ejus pari nomine Caesar factus est. Quis biennium summis potitis . . . repente Antonius Gordianus Africae proconsul ab exercitu princeps apud Thysdri oppidum absens fit. Quo ut accitus pervenit . . . Carthaginem petit. Ibi quum avertendis prodigiis, quorum metu haud inane angebatur, rem divinam solitis ageret, repente hostia partum edidit.* Quae quidem prodigia, censet ipse Pagius, fuisse magnam

quam-

quamdam Solis eclipſim, quae die XII. Aprilis ejus anni 237. viſa fuit hora IV. poſt meridiem. Utcumque fuit, ad S. P. Q. R. Gordianus, poſtquam ad imperium ab Afris vocatus fuerat, literas miſit, quae Romae in Aede Caſtorum lectae fuerunt, ut teſtatur Capitolinus in Maxim. duobus cap. 16., VI. *Calendas Junias*. Hoc tempore Maximinus biennium imperaverat, ut patet ex ſupra recitato Victoris teſtimonio, cui minime repugnat Herodianus, quum lib. 7. cap. 4. Afros ab ipſo Maximino rebellaſſe ſcribit συμπληρωμένης αὐτῷ τριετοῦς βασιλείας. Haec namque verba non ita reddenda ſunt quemadmodum vertit Politianus: *exacto imperii triennio*, ſed: *Quum compleretur*, hoc eſt curreret, *triennale ejus imperium*. Eſt enim συμπληρωμένης participium praeſentis; imo phraſis haec eſt Graecis, aliiſque non raro uſurpata, qua aliquid *compleri* dicitur, quum primum etiam advenit, atque inchoatur. Sic enim D. Lucas Act. 2. v. 1. Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς: *Quum compleretur dies Pentecoſtes*, hoc eſt; quum adveniſſet, illuxiſſet dies quinquageſimus a Paſchate. Et in Evang. cap. 2. v. 21., Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ τοῦ περιτεμεῖν τὸ παιδίον: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer*, hoc eſt, quum adveniſſet dies octavus. Quomodo autem dici poſſet, Maximinum tum *biennium* regnaſſe, ſi ſecundus ejus annus per Cl. Vignolium non deſiiſſet, niſi circa diem XX. Julii ejus anni 237.? Neque enim Victor annis incompletis, quemadmodum egit, ut alio loco dicemus, Herodianus, uti ſolet, eoſque pro completis ſumere: quare biennium illud verum, completumque fuiſſe, neceſſe eſt.

Victoris auctoritati non leve addunt pondus tria Maximini, ejuſque filii elogia ſupra a nobis pag. 33. laudata, in quibus ipſe Maximinus TR. P. III. inſcribitur;

tur; quum probabile admodum sit, inscripta illa fuisse, antequam cum S. P. Q. R. totum ferme imperium a Maximino defecisset. Lectis namque in Senatu die XXVII. Maji Gordiani literis, faustae statim in eum ab universis acclamationes editae sunt, hostesque Maximinus, ejusque filius declarati, ut habet Capitolinus loco supra laudato cap. 16., & Herodianus lib. 7. cap. 7. Quin & legationes undique ad Rectores Provinciarum confestim missae sunt, *electis*, ait Herodianus, *e Senatorio, Equestrique ordine clarissimis hominibus cum literis, quibus, senatus, populique Romani mens exponebatur*. Harum literarum exemplum profert Capitolinus, qui easdem pariter auditas *ab omnibus*, amicosque ubique, & administratores, & duces, tribunos, & milites Maximini interfectos fuisse, tradit. Ac licet *paucas* aliquas Civitates, quae fidem Maximino servarunt, fuisse etiam narret: attamen quum *paucae* hae extiterint, contra vero quae literis Senatus paruerunt, *omnes* ab eo dicantur, quis e paucis prioribus illas, quae Inscriptiones ejusmodi Maximino dicarunt, fuisse affirmaverit? Imo quod ad Inscriptiones Fori Segusianorum a Sponio recitatas pertinet, illud maxime notandum est, has in columnis milliariis, ut supra etiam pag. 33. monuimus, insculptas fuisse, quum in imo earum lapidis, seu milliaris numerus inscriptus sit. In prima enim inscriptione, seu columna visitur *L. I.*, in secunda *L. II.*, in tertia *L. III.*, & in quarta *L. IIII.*, hoc est, ut explicat ipse Sponius, *lapis, seu milliarium primum, secundum, tertium, & quartum*. *Debebant enim*, subjicit idem Sponius, *singulae hae lapideae columnae in tali distantia a Foro Segusianorum statui; sed proculdubio audita statim morte Maximini, & Maximi*, cujus fama post Gordiani in Africa factam nuncupationem, ut testatur Herodianus lib. 7. cap. 6., vulgata

est,

est, *eosque hostes populi Romani declaratos fuisse, non ausi sunt Forenses eas in viis publicis collocare, ne successoribus displicerent: ideoque eas abscondere satagerunt, & ab eo tempore ad nostram usque aetatem sepultae fuerunt*. Quae observatio non inverisimilis videtur, quum & Romae, simul ac Gordiani literae allatae fuere, rumorque mortis Maximini auditus, a populo, ut tradit idem Herodianus eod. lib. 5. cap. 7. *statuae, atque imagines Maximini, ceterique honores statim convulsi, clausumque antea formidine odium licentia jam, & potestate adepta, nullo prohibente effundebant*.

At non solum, quum Afri rebellarunt, ac S. P. Q. R. die XXVII. Maji anni Ch. 237. Gordianum Imperatorem confirmarunt, biennio, secundum Cl. Vignolii sententiam, non imperasset Maximinus, ac Tribuniciam Pot. III. non instaurasset, verum neque quum fato functo non multo post Chartagine eodem Gordiano, Romae Maximus Pupienus, & Clodius Balbinus electi fuerunt; *Interemtis in Africa Gordiano Seniore cum filio, quum Maximinus ad urbem furens veniret; ut, quod Gordiani Augusti appellati fuerant, vindicaret: Senatus pertrepidus in Aedem Concordiae* VII. *Cal. Junii concurrit: ludis Apollinaribus, remedium contra furorem hominis improbissimi requirens*. Sic Capitolinus initio vitae Maximi & Balbini, ubi hos deinde narrat a Senatu Augustos fuisse nuncupatos. Quum Gordiani Africani imperium breve admodum, ac quaedam tantum, ut loquitur Herodianus lib. 7. cap. 9., imago principatus fuerit, neque Maximi & Balbini electio in diem usque XXVI. Maji anni Ch. 238. differri possit, manifestum est, in hunc locum Capitolini, quo Senatus in Aedem Concordiae concurrisse, dicitur VII. *Cal. Junii*, vitium irrepsisse. Hinc Casaubonus scribendum censet VII. *Cal. Julii*, ita ut, quum VI. Cal. Junii recita-

citatae fuissent in Senatu Gordiani literae, ac nuncius deinde de ejus nece Romam mense uno post allatus esset, Senatus hic habitus sit VII. Cal. Julii. Pagius vero ad annum Ch. 236 .num. VIII., ut supra etiam cap. I. monuimus, legendum putat VII. *Idus Julii*, in quod tempus ludi Apollinares, quorum eodem Capitolini loco mentio fit, incidebant. Quod autem ex Afrorum, atque orbis Romani a Maximino defectionis tempore nunc demonstravimus, idem ex tempore quoque interitus ipsius Maximini capite sequenti ostendendum.

CAPUT V.

Argumentum ex tempore necis Maximini, nec non Maximi & Balbini. Tempus imperii Maximini. Quoto tempore post mortem Maximini Maximus & Balbinus regnaverint. Maximus & Balbinus Romae occisi, dum ludi Capitolini celebrabantur. Variae opiniones de tempore ludorum Capitolinorum. Petavii argumentum ex insigni loco Censorini desumtum, quo ludi Capitolini ante exitum mensis Augusti editi ostenduntur. Censorinus librum suum scribebat ante diem XXIX. *Augusti, quum in cursu adhuc erat annus Augustorum Aegyptius* 267. *Pagii opinio de tempore, quo idem Censorinus librum suum scribebat. Aliquae Censorini editiones annum, quo is librum suum scribebat, habent fuisse Augustorum Aegyptium* 268., *sed hae vitiosiores.*

MAximinus, quum cognita Senatus Populique Romani defectione, furens in Italiam una cum universo exercitu iter instituisset, ac superatis, nemine resistente, alpibus, Aquilejam obsedisset, a suis tandem militibus rerum

omnium penuria in ea obsidione laborantibus, cum Maximo filio obtruncatus est. Hunc triennium, paucosque alios dies imperium occupasse, nobiscum consentit Cl. Vignolius pag. 90. Id enim clare traditur ab Eutropio lib. 5., ac confirmatur aliquot ejusdem Imperatoris numismatis, quorum alterum priori Dissert. pag. 37. produxeram ex museo Mediceo, ubi alia deinde quatuor, eaque indubitatae pariter fidei, ejusdem typi, ac cum eadem epigraphe conspexi. Ut ergo ab die circiter xx. mensis Julii anni Ch. 235. Maximini imperium auspicatur Vignolius, ita sub ejusdem mensis exitum, vel proximi Augusti initium anni 238. ejus mortem collocare haud dubitat; quemadmodum nos, statuto initio ipsius Maximini circa diem xix. Martii anni Ch. 235., ejusdem interitum circa exitum mensis Martii anni 238. consignamus. Jam vero quis in hoc etiam termino collocando collimaverit, dispiciamus.

Post necem Maximini aliquod tempus Maximus & Balbinus, qui anno superiori Ch. 237. VII. *Idus Julii ludis Apollinaribus* creati Augusti fuere, imperarunt: ut patet ex iis, quae tum ab Herodiano lib. 8. cap. 6. 7. & 8. tum a Capitolino in eorum vita cap. 12. 13. & 14. gesta ab illis narrantur. Quotum hoc tempus fuerit, nec Herodianus, nec Capitolinus definiunt, licet Capitolinus in vita eorum cap. 15. tradat illos, ex quo Imperatores nuncupati fuere, regnasse *anno uno*, & in Gordianis tribus cap. 22. *biennio*; cui tamen posteriori loco, prior haud dubie, ut docet Salmasius praeferendus est: nisi cum Pagio ad annum Ch. 238. num. V. duos illos annos pro duobus annis Julianis incompletis sumere velimus, quum certum sit biennium eos re vera haud imperasse, imo forte nec integrum annum. Auctor Chronici Alexandrini Balbino *menses tres* tribuit, & Pupieno, seu Maximo *dies*

cen-

centum, perinde atque alter alteri, aut in imperio successerit, aut saltem aliquot dies superfuerit, quod certe utrumque falsum. Eutychius Annal. Eccles. tom. 1. pag. 387. ipsi Pupieno *tres menses* adsignat. Zonaras vero ait, eosdem imperasse *vel, ut nonnulli opinati sunt, dies* XXII., *vel ut alii tradunt, non tres menses integros*. Dies XXII. pauciores sunt, quam intra id tempus confici omnia potuerint, quae, ut superius ajebam, ab Herodiano, & Capitolino recensentur. Interfectis enim Maximino, Maximoque ejus filio, Aquileja Equites quidam (sic rem narrat Herodianus locis supra laudatis) Romam eorum capita, stagnis paludibusque inter Altinum & Ravennam enavigatis, pertulerunt. Maximus Pupienus nuncio de morte Maximini Ravennae, ubi copias adversus illum comparabat, ab iisdem Equitibus accepto, Aquilejam transmissis paludibus, in quas fluvius Eridanus, ac vicina stagna exundabant, contendit. Illic *uno alteroque die sacrificiis absumto, tertio die* exercitum omnem in planitiem verba illi facturus convocavit. Post habitam concionem, *paucos Aquilejae commoratus dies*, dimissis in provincias, aut in sua castra militibus, Romam cum stipatoribus, atque auxiliaribus Germanorum copiis reversus est. Faustis a Senatu Populoque Romano acclamationibus exceptus imperium cum Balbino magna quidem cum publice, tum privatim modestia, & gravitate administravit. Milites tamen, quum inique datos sibi a Senatu Principes ferrent, novas res, caedemque ipsorum Principum, ubi opportunam nacti essent occasionem, animo agitabant. Postremo *quum ludi Capitolini, celebrarentur deditis festis, ac spectaculis omnium mentibus, repente dissimulatum diu sensum milites indicarunt. Namque ira instincti, ac vesano quodam motu unanimiter ad Regiam senes Principes ad necem*

deposcebant &c. Capitolinus vero addit, ipsi Maximo, quum Aquilejae esset, Roma missos fuisse legatos Senatores xx. *cum coronis, & Senatus Consulto, in quo & statuae auratae equestres decernebantur*, ac postquam Romam venisset, quum duo illi Augusti urbem cum magna moderatione regerent, leges optimas conderent, caussas audirent, res bellicas pulcherrime disponerent, ita res demum comparatas fuisse, scribit, *ut contra Parthos Maximus proficisceretur, Balbinus contra Germanos, puer autem Gordianus Romae remaneret:* Quae sane omnia xxii. dumtaxat dierum spatio perfici haud potuere. Ponamus ergo, aut juxta ea, quae habet auctor Chronici Alexandrini, & Eutychius, eos Imperatores regnasse post Maximinum *tres menses*, aut cum auctoribus a Zonara memoratis, *non tres menses integros*. Si Maximinus per Cl. Vignolium neci deditus sit circa exitum mensis Julii, vel proximi Augusti initium anni 238., Maximus & Balbinus interfecti erunt circa extremum, aut minimum circa medium mensem Octobrem: uti per me, si ille exstinctus sit circa finem mensis Martii, hi occisi pariter erunt circa extremum, aut medium mensem Junium: *tres* namque illi *menses non integri*, redigi non incommode possunt ad duos menses integros, & dies circiter quindecim.

Quum ex Herodiano loco supra recitato hi Imperatores interemti sint, dum ludi Capitolini celebrabantur, si quo anni tempore Romae iidem ludi committebantur, liqueret, certius etiam tempus, quo ii Principes interfecti fuere, eruere possemus. Hoc namque ipso anni Ch. 238. eos ludos re ipsa celebratos fuisse praeter Herodianum testis quoque est Censorinus de Die natali cap. 18., ubi de Agone quinquennali Capitolino a Domitiano instituto loquens, eo anno, quo

quo librum suum ad Q. Caerellium scribebat, tradit illum celebratum fuisse: isque annus, ut inter omnes Chronologos convenit, fuit re vera Ch. 238., quod manifeste apparet ex variarum Epocharum annis, quos eum in annum confert idem ipse Censorinus cap. 21. At tantum abest, ut iis ex ludis quidquam pro tempore caedis horum Imperatorum colligere liceat, ut contra ex horum caedis tempore tempus illorum cogamur expiscari. Sic Calvisius in Opere Chronol. ad annum post Ch. 238, quia ante mensem Aprilem eius anni Maximum & Balbinum interemtos censet, hinc, & ante eum mensem ludos illos celebratos fuisse, docet: & Pagius in Crit. ad eumdem annum num. VI., ut ante finem mensis Maji neci deditos eosdem tradit, ita ante exitum pariter ejusdem mensis Maji, editos ludos contendit. Auctor etiam libri, cui titulus: *Novae, verae, & exacte ad calculnm astronomicum revocatae Chronologiae capita praecipua &c.*, cujus singulares opiniones pluribus in locis laudat, confutatque doctissimus Petavius in libris de Doctrina Temp., docet Agonem Capitolinum Autumni tempore, & circa Idus Octobres celebratum fuisse, quod nimirum circa id tempus Maximum & Balbinum exstinctos arbitratur. Quae sententia si vera esset, solidoque fundamento niteretur, plurimum sane vel Cl. Vignolii opinioni ponderis adderet. Sed en illius argumenta. Herodianus lib. VIII. pontem describens, quem Maximinus, ad obsidendam Aquilejam, e cupis vinariis struxit, indicat, circa vindemiae tempus Maximinos ambos interfectos fuisse. Porro imperarunt Balbinus & Pupienus menses tres. Creati sunt ludis Apollinaribus VIII Idus Julii, non, ut in vulgatis est, VII. Calend. Junii, vel Julii. Igitur VII. Idus Octobris vitae pariter, & imperii finem nacti sunt. Haec ille apud Petavium lib. XI.

de

de Doctr. Temp. cap. 22. edit. Antuerp. Duo autem hic tanquam certa is auctor statuit, quae tamen omnino falsa. Primum est, quod cupae illae vinariae, quibus, ut narrat Herodianus, Maximinus pontem junxit, indicio sint, circa vindemiae tempus Maximinum interfectum fuisse: nam Herodianus minime ait, iis cupis tunc temporis usos incolas fuisse, sed *πρότερον*, *antea*, seu, ut vertit Politianus, *quondam*. Alterum vero, quod Maximus & Balbinus tres menses dumtaxat regnarint; nam praeterquamquod id aperte adversatur Capitolino, qui in eorum vita, *anno uno*, imperasse illos tradit, perspicuum etiam est, intra trimestre illud spatium fieri ea omnia haud potuisse, quae ab illorum inauguratione usque ad mortem eorumdem gesta narrant idem Capitolinus & Herodianus. Quare licet verum sit, eos creatos fuisse VII. *Idus Julii ludis Apollinaribus*, id tamen haud accidit eo anno Ch. 238., sed anno praecedenti 237., ac tres menses, sive integri illi fuerint, sive non, qui iisdem ab auctoribus tribuuntur, non a natali eorum imperii, sed a nece Maximini, ut supra diximus, sunt computandi. Eamdem opinionem refellit quoque ipse Petavius laudato loco, contenditque, non autumno, sed aestate eum agonem celebratum fuisse. *Denique*, inquit, *Capitolinos ludos aestivo tempore peractos fuisse, perspicue Censorinus indicat, qui anno* (lege: *mense*) *ab illorum nece proximo scripsit. Nam ut supra declaratum est, Augusto circiter mense libellum suum commentabatur: certe ante finem Augusti, & initium anni fixi Aegyptii. Atqui pag.* 41. *quum de Agone quinquennali Capitolino loquitur;* Hoc nunc, *inquit*, anno qui celebratus est, Agon undequadragesimus numeratur. *Jam ergo confectus erat, proindeque non autumno, sed aestate celebratus est.*

Hoc viri summi argumentum, e tempore quo Censori-

ſorinus librum ſuum commentabatur, ductum, etſi minus recte evincat, aeſtate potius quam vere eos ludos editos fuiſſe, optime tamen, atque evidenter oſtendit ante autumnum, & ante exitum Menſis Auguſti (quod certe ſententiam etiam Cl. Vignolii convellit) commiſſos fuiſſe. Si enim verum eſt, Cenſorinum ante exitum menſis Auguſti ejus anni Ch. 238. opus ſuum exaraſſe, manifeſte conſequitur, eoſdem ludos, quos, dum ille opus ſuum ſcribebat, celebratos fuiſſe, affirmat, ante exitum pariter menſis Auguſti exhibitos fuiſſe.

Verum quum argumenti hujus vis uni nitatur tempori, quo librum ſuum Cenſorinus commentabatur, hinc praeſtat iterum Petavium audire lib. 10. cap. 48., ubi, ut aliam ejuſdem ſuperius laudati auctoris opinionem de tempore, quo ludi Olympii celebrabantur, confutaret, quod hoc loco tantummodo innuit, egregie demonſtrat. *Scripſit Cenſorinus*, ait Petavius, *anno Chriſti* CCXXXVIII., *uti libro* IX. *cap.* XLII. *declaravimus, & vir ille doctus fatetur Diatribae ſuae cap.* V. *At hoc ipſo anno coepiſſe dicit annum Urbis nongenteſimum nonageſimum primum, Actiacum Aegyptiorum ducenteſimum ſexageſimum ſeptimum (cujuſmodi annis initium dat* XXIX *dies Auguſti, in qua Thoth civilis defixus eſt) necnon Julianum ducenteſimum octogeſimum tertium. Annus primus Actiacus Aegyptiorum coepit anno Juliano decimo ſexto Urbis ex Varroniana putatione ſeptingenteſimo viceſimo quarto, uti libro* X. *cap.* LXIX. *docuimus. Demtis igitur quindecim annis de ducentis octoginta tribus Julianis, reſtant ducenti ſexaginta octo. Proinde anno Juliano* CCLXXXIII., *hoc eſt Chriſti* CCXXXVIII. *inire debuit annus Actiacus* CCLXVIII. *Unde Cenſorinum neceſſe eſt librum ſuum ſcripſiſſe labente adhuc anno Actiaco* CCLXVII. *adeoque ante* XXIX. *Auguſti, a quo* CCLXVIII. *iniit.* Haec pul-

pulcherrima, ingeniosissimaque Petavii argumentatio; quae huc breviter redit. Scribebat Censorinus, dum in cursu adhuc erat annus Actiacus Aegyptiorum CCLXVII. *At eorum*, verba sunt Censorini de Die natali cap. 21., *qui vocantur anni Augustorum ducentesimus sexagesimus quintus, perinde ex Calendis Januarii . . . . sed Aegyptii, quod biennio ante in potestatem, ditionemque Pop. Rom. venerunt, habent hunc* [quo scribebat] *Augustorum annum ducentesimum sexagesimum septimum*. Hic autem annus CCLXVII. desiit die XXVIII. mensis Augusti anni Ch. 238., coepitque die insequenti XXIX. annus Actiacus Aegyptiorum CCLXVIII. Librum itaque suum scribebat Censorinus ante diem XXIX. Augusti.

Pagius equidem ad annum Ch. 238. num. 11., Censorinum librum suum scripsisse, autumat, post Cal. Octobres ejus anni: quia nimirum ipse Censorinus cum eodem anno copulat annum Philippi, & obitus Alexandri DLXII., qui, uti ait idemmet Pagius, nonnisi ab ipsis Cal. Octobris incoepit. Sed fallitur proculdubio ipse Pagius, quum anni illius ab imperio Philippi Aridaei, atque obitu Alexandri Magni 562. initium expresse sumat Censorinus non a Cal. Octobris, sed a neomenia vaga Thoth, quam etiam illo anno in diem XXV. Junii incidisse, affirmat. *Sed Aegyptii*, verba sunt Censorini, *quod biennio ante in potestatem ditionemque Pop. Rom. venerunt habent hunc Augustorum annum* CCLXVII. *Nam, ut a nostris, ita ab Aegyptiis, quidam anni in literas relati sunt. Ut quos Nabonazaru nominant, quod a primo imperii ejus anno consurgunt, quorum hic* DCCCCLXXXVI., *item Philippi, qui ab excessu Alexandri Magni numerantur, & ad hunc usque perducti annos* DLXII. *consummant. Sed horum initia semper a primo die mensis ejus sumuntur, cui apud Aegyptios nomen est Thoth: quique hoc anno fuit*

ante

ante diem VII. *Cal. Julii*. Idem Pagius, quo annum illum Actiacum Aegyptiorum, quem memorat Censorinus, cum laudata sua opinione, de initio anni Philippi, & obitus Alexandri, conciliaret, addit eodem loco, quod licet aliqui Codices habeant, eum esse annum 267., correctiores tamen ferunt 268.

Nonnullas aurei Censorini opusculi editiones eo loco legere annum CCLXVIII., verti in dubium non potest. Sic enim habet ex iis, quas vidi, Bononiensis anni 1497. in fol., qua primo prodiit Censorinus opera Philippi Beroaldi, una cum Tabula Cebetis, Dialogo Luciani, Enchiridio Epicteti, Basilio, Plutarcho de Invidia & odio: Mediolanensis ann. 1503. in 4., curata a Tristano Chalcho, qua editum id opusculum fuit una cum Nervae, Trajani, & Hadriani vitis ex Dione in latinum versis a Georgio Merula, Vesaevi montis conflagratione ex eodem, Merula interprete, Cebetis tabula, Plutarcho de Differentia inter odium & invidiam, Basilii oratione de Invidia, & epistola de Vita solitaria: Veneta *in aedibus Aldi & Andreae Asulani* an. 1528. in 8., in qua subjicitur idem opus Macrobio in Somnium Scipionis: alia item Veneta cum notis Aldi Mannuccii Nepotis ann. 1581. in 8. Duae priores editiones non recensentur neque a Dan. Georgio Morosio in suo Polyhist. tom. 1. lib. 4. pag. 203., ubi variae ceteroqui ejus operis editiones memorantur, neque a Jo: Alberto Fabricio in sua Biblioth. Lat. pag. 531. In Bononiensi initio exstat epistola nuncupatoria supra laudati Philippi Beroaldi ad Nobilem Bartholomaeum Blanchinum, quae incipit: *Pulchrum est, congerere nomismata illustrium virorum, pulchrius Bibliothecam librorum monumentis instruere, pulcherrimum vero utrumque conficere*. In Mediolanensi vero praefixa est epistola Tristani Chalchi Mediol., Secretarii Regii ad

G Re-

Reverendiss. P. D. Stephanum Poncherium Episcopum Parisiensem, & Regium Senatus Mediolani Praesidem, quae incipit: *Solent officiosi clientes secundis patronorum rebus laetari*. Editio Beroaldiana saepius ante Chalchianam recusa est, ut testatur ipse Calchus in eadem epistola, ubi inter alia: *Censorini*, inquit, *Grammatici de die natali opus reconditae eruditionis, quod injuria temporum exesum, ac mutilatum Philippus Beroaldus primo publicavit: & qualemcumque potuit latentis libelli copiam studiosis fecit: Mox alii, atque alii ad ejus exemplar impressere*. Nulla autem neque harum impressionum laudata est a Morosio, aut a Fabricio.

At si hae Censorini editiones ferunt eo loco annum CCLXVIII., cur correctiores, ut Pagius pronunciat, ducendae? Certe recentiores omnes, quae accuratiores, & castigatiores omnibus habentur, constanter eo loco habent, annum CCLXVII. Hujusmodi est Editio Ludovici Carrionis Lutetiae anni 1583., & Lugduni 1593., & 1603. in 8., Editio Lovaniensis curante Erycio Puteano Bamelrodio ann. 1628. in 4., Editio Henrici Lindembrogii, quam optimam vocat Morosius loco supra laudato, Hamburgi primum ann. 1614. in 4., & deinde emendatior Lugduni Batav. ann. 1642. in 8. impressa, quam Cantabrigienses etiam postremo recuderunt ann. 1695. Imo dignum observatu est, in iis editionibus, quae, ut supra diximus, hoc loco habent annum Augustorum Aegyptium CCLXVIII., alio loco, quo legendum pariter esset LXVII., mendose legi LXVIII. Sic enim ubi in recentioribus editionibus cap. 20., recte dicitur C. J. Caesar, quum annum Romanum correxit, *duos menses intercalarios dierum* LXVII. *inter mensem Novembrem, & Decembrem* interposuisse, in vetustis, quas supra recensuimus, editionibus, Veneta excepta an. 1528., legitur interposuisse *duos menses dierum* LXVIII.

Quae

Quae lectio proculdubio vitiosa est, ut apparet tum ex Dione lib. 43., ubi ipse J. Caesar adjecisse ei anno dicitur ἑπτὰ καὶ ἑξήκοντα ἡμέρας *septem, & sexaginta dies*, tum ex numero dierum, quibus eum annum correctionis constitisse tradit eodem loco ipse Censorinus. ***Adeoque aberratum est***, inquit, ***ut C. Caesar Pontifex Maximus suo III. & M. Aemilii Lepidi Consulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menses intercalarios dierum sexaginta septem*** (sic in recentioribus) ***in mensem Novembrem, Decembrem interponeret, quum jam mense Februario tres dies & viginti intercalasset, faceretque eum annum dierum*** CDXLV. Scilicet diebus CCCLV., quibus constabat antiquus annus Romanorum, adjectis intra mensem Novembrem & Decembrem diebus LXVII., necnon diebus XXIII. mense Februario intercalatis, summa inde conficitur dierum CDXLV., contra vero, si intra mensem Novembrem, & Decembrem additi fuissent dies LXVIII., is annus fuisset dierum CDXLVI. Veneta autem editio, de qua modo loquebamur, habet, interposuisse J. Caesarem ***duos menses dierum*** LXIIII., quae lectio sane etiam priori vitiosior est, quum juxta illam is annus non fuisset dierum CDXLV., sed tantum CDXLII. Si igitur recentiores Censorini Editiones, in quibus cap. 21. annus, quo librum is suum exarabat, fuisse dicitur annus Augustorum Aegyptius CCLXVII., qui desiit die 28. Augusti anni Ch. 238., pro correctioribus habendae sunt, recte probat Petavii argumentum, ludos Capitolinos celebratos fuisse ante exitum mensis Augusti, ac caedem proinde, quod maxime ad rem nostram facit, Maximi & Balbini, qui dum iidem ludi agitabantur, interemti fuere, in medium usque Octobrem differri non posse, uti nec Maximini interitum in finem usque mensis Julii, vel proximi Augusti initium esse cum Cl. Vignolio prorogandum.

CAPUT VI.

Postremum argumentum ex initio, ac fine Gordiani Pii, & Philippi ejus successoris. Gordiani initium circa medium mensem Junium anni Ch. 238. statuendum, non vero circa medium mensem Octobrem. XXXII. leges Gordiani datae ante Idus Octobres ejusdem anni 238. Quamvis aliquae legum subscriptiones mendosae, non idcirco mendosae omnes habendae. Tillemontii conjectura de iisdem Gordiani legum subscriptionibus. Tempus imperii Gordiani. Initium Philippi circa medium mensem Junium anni Ch. 244. pariter statuendum, non vero circa medium mensem Octobrem. XII. leges Philippi datae ante Id. Octobres ejusdem anni. Nummo Herennii Etrusci ab Anazarbensibus cuso Philippi interitus, & initium Decii saltem ante Cal. Octobres anni Ch. 249. consignandum demonstratur.

MAximini interitum in finem usque mensis Julii, aut proximi Augusti initium anni Ch. 238. prorogari cum Cl. Vignolio non posse, ex insigni Censorini loco capite praecedenti demonstravimus. Idem vero nunc lucu-lentius adstruemus ex duabus supra triginta legibus Gordiani Pii, qui statim post mortem Maximi & Balbini Augustus dictus est, quae in Codice Justinianeo datae omnes visuntur ante Idus Octobres ejus anni Ch. 238. *Pio & Pontiano Coss.* Harum tres sunt ante ipsum initium Augusti: quo tempore secundum Cl. Vignolium non solum Maximus & Balbinus, sed & ipse Maximinus adhuc in vivis fuisset: aliae quatuor sunt ante exitum Augusti, quae una cum tribus prioribus Petavii argumentum, de quo capite praecedenti, confirmant: prior vero omnium data est die xx. Junii,

quo

quo tempore, si post mortem Maximini, quam nos circa finem mensis Martii statuimus, non tres menses integros, seu duos solidos menses, ac dies circiter quindecim regnarunt Maximus & Balbinus, recte poterat imperio praeesse Gordianus. Hae autem leges sunt: L. 2. *De errore Advocat.*, data x. *Cal. Jul.*, L. 8. *De his qui accus. non poss.*, data xvii. *Cal. Aug.*, L 5. *Arbitrium tutelae*, data x. *Cal. Aug*, L. 11 *De operis libert.*, data iii. *Non. Aug.*, L. 2. *De in integrum restit.*, data viii. *Id. Aug.*, L. 3. *De his, quae vi metusve caussa*, data vi. *Id. Aug.*, L. 6. *De distract. pignorum*, data xiii. *Cal. Septemb.*, L. 2. *De dotis promissione*, data xii. *Cal. Septemb.*, L. 14. *Ex quibus caussis infamia irrog.*, data *Cal. Sept.*, L. 2. *De novationibus*, data item, *Cal. Septemb.*, L. 5. *De Judiciis*, data iiii. *Non. Septemb.*, L. 7. *De Pignoribus, & Hypothecis*, data *Non. Septemb.*, L. 2. *De delatoribus*, data viii. *Id. Septemb.*, L. 1. *De precario*, data vi. *Idus Septemb.*, L. 1. *Si quis ignorans rem min.*, data v. *Id. Septemb.*, L. 4. *An servus pro suo facto*, data *Id. Septemb.*, L. 1. *Si pignus pignori datum*, data item *Id. Septemb.*, L. 9. *De fideicommissis*, data xvii. *Cal. Octob.*, L. 7. *Ad S. C. Vellejanum*, data xii. *Cal. Octob.*, L. 9. *De donationibus inter virum & ux.*, data vii. *Cal. Octob.*, L. 4. *De in litem jurando*, data item vii. *Cal. Octob.*, L. 3. *De solutionibus, & liber.*, data v. *Cal Octob.*, L. 8. *De testam. Militis*, data iii. *Cal. Octob.*, L. 7. *De jure dotium*, data *Cal. Octob.*, L. 9. *De testam. militis*, data v. *Non. Octob.*, L. 2. *De filio familias min.*, data iii. *Non. Octob.*, L. 1. *De temporibus in integ. restit.*, data iii. *Non. Octob.*, L. 1. *Ne filius pro patre*, data item iii. *Non. Octob.*, L. 4. *De heredibus instit.*, data *Prid. Non. Octob.*, L. 8. *Ad S. C. Vellejanum*, data *Non. Octob.*, L. 1. *Si major factus alien.*, data item *Non Octob.*, L. 4. *De solution., & liberat.*, data ii. *Idus Octob.*

Non-

Nonnullas legum Codicis Justinianei subscriptiones mendosas esse, iterum fateor. Hujusmodi est ejusdem Gordiani L. 2. *De curatore furiosi*, data *Cal. Januar. Pio & Pontiano Coss.* quo tempore vivebat adhuc Maximinus, & L. 2. *Quomodo, & quando judex*, data IIII. *Cal. April. A.* (sic) *& Pontiano Coss.*, quo tempore si exstinctus forte Maximinus, vivi tamen adhuc erant Maximus & Balbinus. In prioris legis subscriptione excidere facillime potuit nota quaepiam numeralis ante *Cal.*, atque ita pertinere ea lex poterat non ad Mensem Januarium, sed ad mensem Decembrem ejus anni 238. Alteram vero legem, quae data apparet IIII. *Cal. April.*, Gordiani minime esse, sed esse Diocletiani, & Maximiani, docet Russardus, qui eamdem subscriptionem ita ex Novella Theodosii notat esse restituendam: *Data* III. *Id. Aug. Constantinopoli Theodosio A.* XVII. *& Festo V. C. Coss.* At si casu contigit, ut aliquae ejuscemodi subscriptionum vitiosae sint, num eumdem casum dicemus omnes etiam, quas supra laudavimus, vitiasse, atque ita quidem vitiasse, ut omnes in ipsius Gordiani Pii initio ante Idus Octobres anni Ch. 238. statuendo, stabiliendoque, tam pulchre, tam accurate consentiant? *Itane vero*, sic in re quidem absimili ratiocinatur Quintus Cicero apud M. Tullium lib. I. De divin., *quidquam potest casu esse factum, quod omnes habet in se numeros veritatis? quatuor tali jacti casu Venereum efficiunt. Num etiam centum Venereos, si quadringentos talos jeceris casu futuros putas? Adspersa temere pigmenta in tabula oris lineamenta effingere possunt; num etiam Veneris Gnidiae, Coaeque pulchritudinem effingi posse adspersione fortuita putas?* Cui argumento si respondeas, quod re ipsa quidem respondet, sed non multum urget ipse M. Tullius lib. 2. De divin. *Dixisti multa de casu, ut Venerium jaci posse ca-*

su

ſu quatuor talis jactis, quadringentis centum Venerios non poſſe caſu conſiſtere. Primum neſcio cur non poſſint: ſed non pugno; neque ego tum certe pugnavero, ſed his, aliiſque omnibus legum ſubſcriptionibus plane eſſe valedicendum, fruſtraque viros doctiſſimos, ac de rebus Chronologicis quammaxime meritos Panvinium, Baronium, Noriſium, Pagium, alioſque, in Codice ipſo Juſtiniani, ut inde, quibus ſaepiſſime utuntur, legum ſubſcriptiones colligerent, ſedulo verſando, tempus triviſſe, affirmavero. Ceterum his in rebus, in quibus probabilia ſectamur, non quae fieri quomodocunque poſſunt, ſed quae fieri, veriſimile eſt, ſpectanda.

Neque vero dici poteſt, quod dubitans quidem proponit Tillemontius nota XII. in Maximinum, ut duas ſupra laudatas Gordiani leges, alteram datam *Cal. Jan.*, & alteram IIII. *Cal. Aprilis*, explicaret, eos nimirum, qui Codicem Juſtiniani condidere, quum leges Maximi & Balbini Auguſtorum nominibus inſcriptas una cum Gordiani Caeſaris nomine inveniſſent, duos priores praetermiſiſſe, unumque Gordianum uti notiorem ſignaſſe. Incredibile namque eſt, Codicis ipſius conditores, qui viri profecto tum doctrina, tum dignitate praeſtantes fuere, ſtupidos adeo fuiſſe, ut earum legum auctores praecipuos, quales fuiſſent Maximus & Balbinus Auguſti, prorſus omiſerint, ac ſolum Gordianum, qui purus putus Caeſar, notaverint, atque hunc Auguſti titulo inſigniverint.

Duabus ſupra triginta Gordiani legibus adjicere poſſumus duodecim leges Philippi, qui poſt Gordianum imperium ſuſcepit. Gordianus imperavit annos ſex, quod non ſolum diſcimus ex Capitolino in Gordianis tribus cap. 31., Euſebio Hiſt. Eccl. lib. 6. cap 24., & utroque Victore, ſed ex duobus quoque ejus nummis

apud

apud Mediobarbum pag. 341. *TR. POT. VII.* notatis. Igitur si Maximinus secundum Cl. Vignolium circa exitum mensis Julii, aut initium Augusti an. Ch. 238., & Maximus & Balbinus circa Idus Octobris ejusdem anni interemti sunt, Gordianus pariter circa Idus Octobres anni Ch. 244. occisus fuisse dicendus: ut contra per me si Maximinus circa finem mensis Martii, & Maximus & Balbinus circa medium mensem Junium memorati anni 238. e vivis sublati, Gordianus circa medium mensem pariter Junium anni 244. peremtus est. Exstant vero in ipso Codice Justiniani duodecim Philippi leges datae ante Idus Octobres anni 244. *Peregrino & Aemiliano Coss.*, quarum duae datae sunt die XVI. Junii, altera die XIX., & altera die XXX. ejusdem mensis; quae sane Maximum & Balbinum confirmant circa medium mensem Junium anni 238., & Gordianum circa medium pariter mensem Junium anni 244., ut superius diximus, exstinctos fuisse. Hae sunt: L. 3. *De juris, & facti ignor.*, data XVI. *Cal. Jul.*, L. 8. *De relig. & sumpt. fun.*, data item XVI. *Cal. Jul.*, L. 11. *De his qui accus. non poss.*, data XIII. *Cal. Jul.*, L. 3. *Si saepius in integ. restit. post.*, data II *Cal. Jul.*, L. 3 *Qui dare tutor. vel curator. poss.*, data XIII. *Cal. Aug.*, L. 4. *eod. tit.*, data X. *Cal Aug.*, L. 16. *De excusat. tutor. & curat.*, data item X. *Cal Aug.*, L. 18. *De fidejussor. & mandator.*, data V. *Cal. Aug.*, L. 7. *De solutionibus & liberation.*, data item V. *Cal. Aug.*, L. 10. *Ad. S. C. Vellejan.* data XVIII *Cal. Septemb.*, L. 11. eod. tit., data VIII. *Cal. Octob.*, L. 4. *Quomodo, & quando judex*, data V. *Id Octob.*

Sunt in eodem Codice tres aliae ejusdem Philippi leges iisdem Consulibus *Peregrino & Aemiliano* notatae, quae datae apparent etiam, quum secundum meam sententiam in vivis adhuc agebat Gordianus. Hae sunt: L. 6. *Ad exhibendum*, data II. *Id. Mart.*,

L. 10.

L. 10. *De transactionibus*, data *Prid. Cal. April.*, & L. 4. *De crimine stellionatus*, data VI. *Id. Maji*. Duarum priorum legum subscriptionibus repugnat subscriptio alterius legis eodem anno, hoc est *Peregrino & Aemiliano Coss.*, a Gordiano editae, quae est, L. 6. *De collationibus*, data VII. *Cal. Maji*. Quum ex recentioribus Chronologis haud desint, qui Gordianum mense Martio, quo duae supra laudatae Philippi leges editae conspiciuntur, occisum fuisse autument, hinc in altera lege Gordiani legendum sentiunt VII. *Cal. Mart.* loco VII. *Cal. Maji*. Pagius tamen ad ann. Ch. 244. n. II., quum vivum adhuc exeunte mense Martio Gordianum fuisse existimet, eas legum Philippi, & Gordiani subscriptiones in concordiam adducere nititur. Quum enim ex Capitolino in Gordianis tribus cap. 30. observasset, Philippum vivente adhuc Gordiano, in Oriente, ubi simul cum exercitu versabantur, imperium sibi usurpasse, recte fieri potuisse, docet, ut uterque eorum simul eodemque tempore leges in particulari ediderint. Num haec conciliatio Pagii pro vera habenda sit, adhuc dubito. Nam, quemadmodum etiam prioris Dissert. pag. 41. animadverti, quamvis a Militibus Philippo demandatum imperium fuisset, maximamque adversus Gordianum, quem demum interfici jussit, sibi ille auctoritatem cepisset, attamen quum haec, ut narrat idem Capitolinus cap. 31., etiam post mortem Gordiani plane ignota Senatui fuissent, verisimile non videtur, eumdem Philippum leges tunc temporis suo nomine inscriptas emisisse. *Philippus autem*, ait Capitolinus, *ne a crudelitate nancisci videretur imperium, Romam literas misit, quibus scripsit Gordianum morbo periisse, seque a cunctis militibus electum. Nec defuit, ut Senatus de his rebus, quas non noverat, falleretur*. Utut est, sive tres illae, quas supra memoravimus, Philippi leges mendosae secundum meam

ſententiam habendae ſint, ſive vivente adhuc Gordiano a Philippo editae fuerint, argumentum nihilominus ex duodecim illis Philippi legibus ante Idus Octobres deſumtum, ſemper probat, Gordiani Pii interitum in id uſque tempus differri haud poſſe. Si enim tres illae mendoſae: non eadem propterea & aliis duodecim legibus nota inurenda. Si vero editae a Philippo vivente adhuc Gordiano: eſto, de iis tribus dici id poſſit, nemo tamen, idem & de aliis duodecim affirmari poſſe, crediderit. Si enim quae tribus circiter menſibus geſta ſunt a Philippo ignorata a Senatu fuere, non idcirco etiam ea, quae ſeptem menſibus palam in ore atque oculis omnium geſſiſſet in publicum providens, ignorari potuiſſent.

Philippus tandem regnavit minimum annis quinque, quod tradunt diſerte Eutropius, & uterque Victor; exſtantque apud Mediobarbum pag. 347. duo ejus nummi *TR.P.VI.* inſigniti. Quum poſt mortem Gordiani Pii ad Senatum hic ſcripſerit, ipſum Gordianum, ut ſupra ex Capitolino notavimus, *morbo periiſſe, ſeque a cunctis militibus electum fuiſſe*, nec defuerit, *ut Senatus, de his rebus, quas non noverat, falleretur*, dubitari nequit, quin anni Trib. Pot. duobus illis nummis inſcripti, non a demandato illi a militibus vivente adhuc Gordiano imperio, ſed a morte ejuſdem Gordiani ſint computandi. Si occiſus itaque fuit Gordianus circa medium Octobrem anni Ch. 244., occiſus pariter erit Philippus minimum circa medium Octobrem anni 249. Philippo ſucceſſit Decius: ac licet eo adhuc vivente hic ab exercitu Illyriciano, ut tradunt Zoſimus & Zonaras, Auguſtus declaratus fuiſſet, purpuraque, invitus quidem, ac reluctans, amictus fuiſſet, filium tamen ſuum Herennium Etruſcum nonniſi poſt Philippi, ejuſque filii mortem Caeſarem renunciavit. *His actis*,

ver-

verba sunt Victoris de Caesaribus, *filio Urbi relicto* Philippus *quamquam debili per aetatem corpore adversum Decium profectus, Veronae cadit, pulso, amissoque exercitu. Quis Romae compertis apud castra praetoria filius interficitur. Annos potentiae quinque egere. Et Decius Syrmiensium vico ortus militiae gradu ad imperium conspiraverat, laetiorque hostium nece filium Etruscum nomine Caesarem facit.* Porro Vaillantius in nummis Graecis recitat ex museo Fucoltiano nummum Herennii Etrusci ab Anazarbensibus cusum, in cujus antica parte legitur: ΕΡΕΝ. ΕΤΡΟΥ. ΜΕ. ΚΥ. ΔΕΚΙΟϹ. ΚΑΙϹ. *Herennius Etruscus Messius Quintus Decius Caesar.*, in postica vero circa ambitum: ΑΝΑΖΑΡ. ΕΝΔ. ΜΗΤ. *Anazarbi Inclytae Metropolis:* in imo: ΕΤ. ΗΞϹ. *anno* 268., in area Γ.Γ. Γράμματι Γερουσίας, *Decreto Senatus*, ac visitur *Victoria in bigis cum flagro*. Epocha Anazarbi est, quemadmodum docet Em. Norisius Dissert. 4. de Epoch. Syrom. cap.1. pag.311., Augustana, coepta autumno anni V.C.734. ante Ch. 20., quo, testibus Dione lib. 54., ac Josepho lib. 15. Antiqu. cap. 13., Caesar Augustus ex Asia proconsulari in Syriam perrexit M. Apulejo P. Silio Coss. Venit quippe Augustus in Syriam circa aestatem ejus anni, ut ex ipso Dione probat idem Em. Norisius in Cenotaph. Pisan. Dissert. 2. pag. 292. & sequ., ibique quinque circiter mensibus commoratus, in Samum instante hieme reversus est, ac vere appetente Athenas transmisit. Numeratis autem ab autumno anni V. C. 934. annis 268. in nummo Herennii Etrusci obsignatis, horum postremum comperiemus decurrisse ab autumno anni V. C. 1001. Ch. 248. ad autumnum anni insequentis V. C. 1002. Ch. 249. A quo mense autumnali, num scilicet a Septembri, an ab Octobri Anazarbenses annos suos inciperent, mihi quidem incompertum: quum, ut observat idem Em.

Norisius Dissert. 3. de Epoch. Syrom. cap. 6. pag. 195., in Syria quidam a Calendis Octob., alii a Calendis Septembris, annum exordirentur. Sed demus, illum a Cal. Octobris inchoavisse: inde certe manifestum fit, ante Calendas saltem Octobris anni Ch. 249. Herennium Etruscum a Decio, Philippo Veronae, & Romae ejus filio jam interemtis, Caesarem declaratum fuisse, hujusque rei nuncium Anazarbum pervenisse. Non ergo Philippi interitus in medium usque Octobrem ejus anni 249. differri potest: sed rectius a nobis mense Junio ejusdem anni consignabitur, & quidem post diem XVII., quum exstet in Codice Justiniani ejusdem Philippi lex, quae est I. *De revocandis donationibus*, eo ipso die data, nimirum XV. *Cal. Jul. Aemiliano & Aquilino Coss.*

Quemadmodum autem, ut his aliquando finem imponamus, Philippi interitus circa medium mensem Octobrem anni Ch. 249. statui non potest, uti nec interitus Gordiani Pii circa medium Octobrem anni 244., sic neque mors Maximini circa finem mensis Julii, vel proximi Augusti initium anni 238., nec exordium illius circa diem XX. Julii anni 235. poterit cum Cl. Vignolio consignari. Si autem perperam consignatum ab illo est exordium Maximini circa diem XX. Julii anni 235., perperam quoque, quod & aliis argumentis supra ostendimus, consignatum ab eodem erit exordium Alexandri circa diem XI. Julii anni 222.

Haec sunt, quae Dionis Sententiam, seu vulgatam ejus codicum, de tempore imperii Elagabali, & Severi Alexandri initio, lectionem quam a librariis vitiatam V. C. contendit, retinendam omnino, meo quidem judicio, suadent. Ceterum, quo clarius appareat, num ea, quae ab eodem V. C. pro nova sua stabilienda opinione allata sunt, majoris, minorisve sint ponderis,

ac

ac quae a nobis hactenus tradita, sequentibus illa capitibus examinabimus.

CAPUT VII.

Cl. Vignolii argumentum ex Lampridio de tempore necis Alexandri desumtum. Lampridii narratio narrationi, quam habet Herodianus, prorsus contraria. Meridiationes veteribus quovis anni tempore frequentatae. Alterum V. Cl. argumentum ex Herodiano depromtum. Aliquae ornatorum Historicorum loquutiones non nimis urgendae. Tam Herodiani, quam Lampridii narratio, de modo, quo Alexandri nex contigit, inverisimilis.

ELagabalum, quem secundum Dionem die x. Martii an. Ch. 222. superioribus capitibus occisum docuimus, mense Junio ejusdem anni in vivis adhuc fuisse, ac nondum Alexandrum ad imperii fastigium evectum fuisse, ex aliquot Lampridii, & Herodiani locis, exploratum fieri affirmat Cl. Vignolius pag. 76. Ac primum quidem, quum ex Lampridio, & Eutropio, quod vel nos supra egimus pag. 27., animadvertisset Alexandrum, annos tredecim, atque octo, vel novem dies imperasse, recte infert eadem anni tempestate eum declaratum Imperatorem fuisse, qua demum a Maximino interfectus fuit. Interfectum autem fuisse, non verno, sed aestivo tempore, primo colligit ex Lampridio in vita ipsius Alex. cap. 61., ubi hunc in modum mortem oppetiisse, traditur. *Profectusque ad bellum in loco supradicto ita occisus est. Prandebat forte publico, ut solebat, convivio, idest apertis papilionibus, cibo militari accepto: neque enim aliud a discutientibus militibus in tentoriis est repertum. Et quum dormiret post convivium hora diei fere septi-*

septima, unus ex Germanis, qui scurrarum officia subsistinebat, ingressus dormientibus cunctis solo tantum Imperatore intervigilante visus est. Cui Alexander, quid est hic, inquit, contubernalis? Num aliquid de hostibus nuncias? at ille metu perterritus, & sperans non posse se evadere, quod in tentorium Principis irruisset, ad contubernales suos venit, eosque ad durum Principem interimendum cohortatus est, qui subito plures armatique ingressi inermes, & obsistentes contruncarunt, ipsumque pluribus ictibus confoderunt. Hoc in loco, etsi non diem neque mensem, sed horam dumtaxat mortis Alexandri Lampridius prodiderit; inde tamen quo anni tempore a Maximino patrata ea fuerit, argui facile posse, V.C. contendit. Siquidem *hora hac*, ait pag 77., *diei fere septima, seu prima post meridiem, qua Germanus ille Imperatorem occisurus tentoria visus est ingredi, VERVM QVAMVIS NON SIT, ut mox videbimus, Alexandrum interemtum a Maximino fuisse, hoc tamen aestivo tempore contigisse, jam satis Lampridius ostendit. Etenim si tempore alio id evenisset, credi vix posset, ac ne vix quidem, milites, ipsasque Principis excubias, atque adeo cunctos, ut ait, in tentoriis degentes, post convivium somno ita obrutos fuisse, ut prodi tentoria potuerint.* Subjicit vero: *Qua vero diei hora id acciderit, Herodianus tradit lib. 6. cap. 9. Inquit enim:* τῆς νυκτὸς δὲ διαδραμούσης κατὰ τὸ περὶ ὄρθρον: *nocte exacta, quum jam lucesceret.*

Si Herodiano, quem postremo laudat V. C., fides hac in re adhibenda, profecto non solum verum non erit, quod ipse monet, Alexandrum illa hora diei fere septima interfectum fuisse; sed & totam illam Lampridii narrationem purum putum commentum esse, pronunciandum. Videatur ipse Herodianus lib. 6. cap. 8. & 9. ubi alio, eoque toto caelo diverso modo rem narrat. Sed quid opus est, ut totam illam Lampridii nar-

narrationem rejiciamus? Satis superque mihi est, si ex ea rejiciatur, quod falsum esse, ipse V. C. ultro fatetur: nimirum si cum illo affirmemus, ***non hora diei fere septima, seu prima post meridiem*** Alexandrum interemtum fuisse, sed ***nocte exacta, quum jam lucesceret***, seu ***hora diei prima***, quo tempore mirum profecto non est, aut incredibile, somno cunctos indulsisse. Sed ait: ***si tempore alio id evenisset, credi vix potest, ac ne vix quidem, milites ipsasque Principis excubias, atque adeo cunctos in tentoriis degentes post convivium somno ita obrutos fuisse, ut prodi tentoria potuerint***. An forte hora illa prima diei pranderat Imperator, pranderant milites, somnoque post ipsum convivium eadem hora omnes se dederant? Si hoc sibi velit, atque huc spectet Cl. Viri argumentum, non dubito, quin ultro quoque concessurus sit, quovis anni tempore id insolens esse; neque inde propterea deduci posse, aestate potius, quam alio tempore contigisse.

Si autem relicto Herodiano, velimus cum Lampridio, Alexandrum vere hora illa diei fere septima post convivium occisum fuisse, neque hinc certe colligi potest, aestivum tum tempus fuisse. Etsi enim frequentius, libentiusque aestate meridiano somno vacemus, minime tamen absurdum est, aut insuetum, ut alio etiam tempore eidem post ipsum convivium indulgeamus. Etenim, ut eleganter Lucretius lib. 4.

Deinde cibum sequitur somnus: quia quae facit aër
Haec eadem cibus in venas dum diditur omnis
Efficit: & multo sapor ille gravissimus exstat,
Quem satur, & lassus captas.

Augustus apud Sueton. in ejus vita cap. 78., quod *De his, quae gerebat post cibum*, inscribitur, quovis anni tempore, ut videtur, dormiebat. ***Post cibum meridianum ita, ut vestitus calceatusque erat, retectis pedibus paullisper conquie-***

quiescebat, apposita ad oculos manu. Et Seneca ep. 83., de iis loquens, quae post prandium ipse agebat: *dormio*, inquit, *minimum, consuetudinem meam nostri, brevissimo somno utor, & quasi interjungo*. Quem interjungendi morem, idest leviter quiescendi, ac pausandi in meridie, aliis quoque jam communem fuisse, docet lib. De tranquill. animi versus finem, dum, *Quidam*, inquit, *medio die interjunxerunt, & in postmeridianas horas aliquid levioris operae distulerunt*. Quae verba ita explicat J. Lipsius: *significat autem eos in meridie aliquid cibo, ac dein somno dedisse, mox rediisse ad operas, sed leviores*. De Commodo etiam testatur Herodianus lib. 1. cap. 17., eum pridie Calendas Januarias, quo die interfectus fuit, in cubiculum de more meridie dormiturum se recepisse. Non ergo incredibile est, Alexandrum etiam, ejusque milites, secundum Lampridii narrationem (nisi quidem, ut infra, alia obessent) alio quoque ab aestivo tempore, nimirum circa diem XIX. Martii, quo mense, neque multum intempestivae esse solent meridiationes, post prandium dormiisse.

Verum ad Herodianum, quem V. C. quod ad horam necis Alexandri, ut aliud inde argumentum eliciat, sequutus est, redeamus. Hora diei prima, seu *nocte exacta quum jam lucesceret* secundum Herodianum Alexander interfectus est: ac quum idem mox subdat, ipsi Alexandro tum nunciatum a quibusdam fuisse, *adesse Maximinum, pulveremque, haud procul excitatum videri*, observat V. C., mane, horaque illa prima diei non alia anni parte quam aestiva pulverem equorum pedibus, in Germania praesertim, ubi hoc accidit, excitari potuisse.

Num vera observatio isthaec sit, nostra haud multum interest, investigare. Illud certe verum, exploratumque existimo, his, & similibus eloquentium praeter-

tium,

tium, atque ornatorum Historicorum, qualis est Herodianus, loquutionibus nimium non esse insistendum, quum aliqua, quae ad cultum potius, atque elegantiam narrationis, quam ad rei gestae veritatem pertinent, addere nonnumquam ii soleant. Hinc putaverim, verba illa ex Herodiano modo recitata, ut & quae statim ab eodem subjiciuntur, nonnisi hujus generis periphrasin esse, qua Maximinus una cum suo exercitu, ac magna quidem celeritate, qua utplurimum efficitur, ut pulvis attollatur, adventare significetur. *Αγγειλάντων τινῶν, ὅτι δὴ Μαξιμῖνω πρόεισι, κόνιςτε πόῤῥωθεν ἐγειρομένη φάινεται, βοῆςτε ἦχ⊕ πλήθους ἐξακόυεται. Nunciantibus quibusdam adesse Maximinum, pulveremque procul excitatum videri, ac voces magnae multitudinis exaudiri.* Has magnae multitudinis voces, verisimile certe haud videtur, a militibus Maximini, dum ad tentorium Alexandri veniebant, editas fuisse, quum illud ejusdem Maximini, ut cap. praeced. narrat idem Herodianus, consilium fuisset, *ut sublatis armis etiam praevento rumore Alexandrum jam rei totius ignarum* opprimerent: quo nimirum, *milites ejus, ac stipatores re subita perterriti, aut sponte cum reliquis* consentirent, *aut certe dum imparati essent, nihilque ejusmodi expectarent, etiam ingratis* subigerentur. Si autem auditae hae militum voces nonnisi Rhetorica periphrasis habenda est, qua iidem approperare milites significantur, idem quoque de conspecto procul pulvere existimandum.

Praeterea, neque certum omnino esse, reor, necem Alexandri cum in modum, quo traditur ab Herodiano, re vera contigisse. Hujus narrationem cum ea, quam habet Lampridius, prorsus pugnare, exploratum est: ac licet Herodianus Alexandri aetate floruerit, Lampridius vero multem eo posterior fuerit; hic nihilominus in vita Alexandri concinnanda *historicos ejus*

temporis, & maxime Acholium, qui & itinera hujus Principis scripsit, sequutum se esse cap. 64. testatus est. Quin & Scriptores non defuisse, cap. 63. animadvertit, qui occidendi Alexandri hanc caussam fuisse traderent: *quod Mater ejus relicto bello Germanico Orientem ad jactantiam sui vellet redire, atque ob hoc esset iratus exercitus. Sed haec ab amatoribus*, subjicit, *Maximini ficta sunt, qui videri noluerunt Imperatorem optimum ab amico suo interfectum contra jura humana, atque divina*. Cujus quidem generis videtur esse ipsamet Herodiani narratio, qua nimirum cap. 8. ideo milites in Alexandrum conspirasse, ac Maximinum Imperatorem consalutasse, dicuntur, quod is *sub matris auctoritate adhuc esset, nihilque non ex arbitrio, consilioque illius administraret, bellumque segniter, & timide gereret:* atque ipse Maximinus, quum jam ad Alexandrum venisset, hortans commilitones cap. 9. inducitur, *ut mulierem sordidam, & pusillum adolescentem etiamnum sub matris servitio, statim desererent, seque viro forti, proboque adgregarent*. Unde non mirum, si & Capitolinus in Maximinis duobus cap. 13. de ipso Herodiano scribit, quod Maximino *in odium Alexandri plurimum favit*, & Vossius de Hist. Graec. lib. 11. cap. 15. de eodem loquens, *veritati*, inquit, *etiam studuit, nisi quod fides ejus nutet in Alexandro & Maximino*.

Multa certe in ipsa Herodiani narratione deprehenduntur, quae, ut monet quoque Tillemontius nota x. in Alexan., minus verisimilia videntur. Ac primum illud est, quod Maximinus palam, & aperte in Alexandrum conspiraverit, seque necis illius auctorem prodiderit. Quod sane pluribus, quae habet, ac forsan ex Acholio, Lampridius, non quidem quod ad mortis, seu proditionis genus, in quo Herodianum, & Lampridium discrepare jam manifestum, sed quod

ad

ad alia etiam, quae post mortem Alexandri patrata sunt, adversatur. *Mortem ejus*, ait Lampridius cap. 63., *milites, & qui exauctorati ab eo quondam fuerant, gravissime tulerunt, atque auctores caedis trucidarunt.... Senatus eum in Deos retulit. Cenotaphium in Gallia, Romae sepulcrum amplissimum meruit. Dati sunt & sodales, qui Alexandrini appellati sunt: Addita & festivitas matris nomine, atque ipsius, quae hodieque Romae religiosissime celebratur*. Mirum autem, ac plane incredibile foret, hisce honoribus, tum in Gallia ubi occisus fuit, tum Romae, quo forte ejus cineres, amplissimo illi sepulcro inferendi, missi fuerunt, eum post mortem honestatum fuisse, si a Maximino, cui post eum imperium delatum est, palam, aperteque interfici, jussus fuisset. Porro inter Deos, eum relatum fuisse, testantur etiam duo illius argentei nummi apud Mediobarbum pag. 325., in quorum priori parte legitur: *DIVO ALEXANDRO:* in posteriori vero *CONSECRATIO*, ac in altero eorum visitur Aquila, in altero Ara cum igne. Deinde aeque incredibile est, Alexandro eamdem conspirationem innotuisse: nam major proculdubio, atque exercitatior, secundum eumdem Herodianum, exercitus pars apud ipsum versabatur, Maximinus enim solis tyronibus praeerat; unde recte illi cum iisdem tyronibus venienti, veteranis suis copiis occurrere potuisset, eique fortiter resistere. Demum, ut miram illam militum omnium ab Alexandro desciscendi facilitatem praeteream, quis Alexandrum credat, pusillo adeo, infirmoque animo fuisse, ut re primum nunciata, *vesano similis, lacrymansque, & tremens* e tabernaculo prosilierit, *nunc Maximinum perfidum, ingratumque* vocans, nunc tyrones accusans *qui neglecto sacramento, adeo proterviter id facinus auderent*: quum vero significatum, Maximinum jam ad-

ventare, rursus in planitiem egressus milites convocarit, rogaritque, *ut se defenderent, tuerenturque:* ac postremo quum Maximini exercitus in conspectum venisset, *tremens atque exanimatus in tabernaculum* redierit *matrique implicitus, & conquerens, atque incusans, quod ob illam talia pateretur*, exspectarit interfectorem? Mulierem profecto, aut puerulum hic describi nemo non videt, non vero Imperatorem in bello agentem, maximumque exercitum moderantem. Qua constantia animi is fuerit, satis vel inde elucet, quod sub ipsa imperii initia Antonini, & Magni nomina sibi a Senatu oblata, invicte adeo repudiaverit, ut quemadmodum ait Lampridius cap. 2., *multo clarior visus est alienis nominibus non receptis, quam si recepisset, atque ex eo constantiae, ac plenae gravitatis famam obtinuit*. Tantae vero in milites ipsos, ut tradit idem Lamprid. cap. 52., severitatis fuit, *ut saepe legiones integras exauctoraverit, ex militibus Quirites appellans, nec exercitum unquam timuerit, idcirco quod in vitam suam dici nihil posset*. Alias militum seditiones, & tumultus, antea, ut apud Lampridium cap. 53., & 54., expertus fuerat, quas tamen, tanta erat auctoritate, solo sermone compescuit. Sed & mortem eum contemsisse, inde ostendit ipse Lampridius cap. 62., quod, quum Thrasibulus Mathematicus ei dixisset, *necessitatem esse, ut gladio barbarico periret, primo laetatus est, quod sibi mortem bellicam, & imperatoriam crederet imminere: deinde disputavit, ostenditque optimos quosque violenta morte consumtos .... Tantumque animi habuit, ut putaret se Diis comparandum si in bello periret*. Uno verbo, tota hujus Imperatoris vita a Lampridio conscripta, ne dum mortis ipsius narratio, rejicienda penitus foret, fabulisque accensenda, si verum sit, Alexandrum, ut narrat Herodianus, conspirationis nuncio accepto, vesano similem,

lacry-

lacrymantem, trementem e tabernaculo prosiliisse, & Maximino dein prodeunte, trementem iterum, & exanimatum in tabernaculum rediisse, ibique Matri implicitum infantis instar, interfectorem exspectasse.

At fatendum etiam, illud vel in Lampridii, qua mors Alexandri describitur, narratione, maxime inverisimile esse, quod hora illa diei fere septima (quocumque anni id tempore acciderit,) quum Germanus ille tentorium Principis ingressus fuisse dicitur, cuncti dormirent, solusque Imperator intervigilaret. Neque enim credi potest, in castris Alexandri, qui tanta, ut ex eodem Lampridio didicimus, in milites fuit severitate, corruptam adeo, neglectamque disciplinam militarem fuisse, ut omnibus, atque adeo ipsis Principis excubiis, nisi hae quoque in necem Alexandri consensissent, somno tunc licuerit indulgere. Etenim etsi tradat ipse Lampridius cap. 59., Alexandrum quum, sive in Britannia, sive in Gallia, interemtus fuit, cum paucis fuisse; id tamen non ita, ac si de privato quopiam homine sermo esset, intelligi oportet, sed de Principe, de Imperatore, quem partem saltem aliquam sui exercitus, eximios plures viros, ducesque, stipatores, excubias secum habuisse, atque has, quum ille post convivium in tabernaculum meridiaturus se recepisset, majori diligentia, ac vigilantia, quo pauciores eo loci degebant, munus suum obiisse, censendum.

Ex his apparet, quam utraque, Herodiani scilicet, & Lampridii de morte Alexandri, narratio incerta sit: multumque probabile videtur, ab amatoribus Maximini post mortem ipsius Alexandri varios compositos, ac in vulgus sparsos rumores fuisse, varieque a variis, quo magis ejusdem Maximini facinus occultaretur, eam seditionem narratam. *Sed haec*, ita de nonnullis, quae ab aliquibus ferebantur, testatur, ut supra etiam notavi-

tavimus, Lampridius cap. 63., *ab amatoribus Maximini ficta sunt, qui videri noluerunt, Imperatorem optimum ab amico suo interfectum contra jura humana, atque divina*. Id unum ergo, ut innuere videtur idem Lamprid. cap. 59., hac in re pro certo habendum est, eum a militibus occisum fuisse: quo vero modo, qua hora, quave captata occasione, incompertum. *Denique agentem eum cum paucis in Britannia*, verba sunt Lampridii, *ut alii volunt, in Gallia, in vico, cui Sicila nomen est, non ex omnium sententia, sed latrocinantium modo quidam milites, & hi praecipue, qui Heliogabali praemiis effloruerant, quum severum Principem pati non possent, occiderunt. Multi dicunt, a Maximino immissos tyrones, qui ei ad exercendum dati fuerant, eum occidisse: multi aliter, a militibus tamen constat, quum injuriose, quasi in puerum eumdem, & matrem ejus avaram, & cupidam multa dixissent*.

CAPUT VIII.

Alia tria Cl. Vignolii argumenta ex tempore necis Maximini petita. Ex Herodiano colligi nequit, Maximinum occisum fuisse aestatis tempore. Aquilejensis obsidio quo tempore a Maximino coepta: ac qua ratione dicta ab Herodiano diuturna, & inexplicabilis. Fluvius a Maximino ante Aquilejae obsidionem transmissus Sontium: quamvis a Lampridio confusus cum Natisone. Etiam ante ejus fluvii trajectionem Aquileja diu a copiis Maximini oppugnata.

QUemadmodum e tempore mortis Alexandri duo argumenta Cl. Vignolius hausit, ut ipsum Alexandrum non verno, sed aestivo tempore imperio potitum fuisse, ostenderet: ita tria

tria alia argumenta elicit e tempore mortis Maximini, qui post Alexandrum annos tres, paucosque aliquot dies imperium occupavit. Hoc autem primum. Herodianus lib. 8. cap. 5. postquam Aquilejae obsidionem, sub qua ipse demum Maximinus a militibus suis interfectus fuit, recensuisset, inter alia, quae defatigati ipsi milites subibant, incommoda, haec etiam commemorat. *Exercitus vero omnium rerum egenus, excisis feracibus arboribus, agroque omni ab ipso pervastato sub tentoriis tumultuarie factis, degebant: maxima vero pars sub aperto caelo tolerabant imbres, atque solem* Ait vero Vir Cl. pag. 79. imbres quidem quocumque anni tempore molesta homines ferre, sed solis radios, militibus praecipue duriora pati solitis, non nisi aestivo tempore graves, ac molestos accidere potuisse.

Ut ex solis radiis, qui graviores aestate militibus accidunt, probat Vir Cl., aestivum tum tempus fuisse, ita contra ex imbribus, qui vere copiosiores ingruere solent, ac propterea molestiores eo tempore militibus sunt, probare ipse possem, vernam potius, quam aestivam tempestatem tum fuisse. Verum eorum verborum, *sub aperto caelo tolerabant imbres, atque solem* non alium esse sensum crediderim, quam milites incommodo illi, sub dio, sive sol, sive imber esset, agendi, fuisse obnoxios, ut ut demum molestiores iisdem fuerint imbres, aut solis radii. Sed pergit Vir Cl.

Herodianus ibidem ita mortem Maximini contigisse narrat. *Quum igitur ad hunc modum moestus, atque inops exercitus esset, repente dum sub tentorio quiescit Maximinus, vacuo die a pugna, quum plerique, aut in tabernacula, aut in suas quisque stationes concessissent, visum est militibus iis, quorum ad urbem Romam sub*

Mon-

Monte Albano castra erant, atque in his liberi eorum, conjugesque relictae neci dedere Maximinum, ut aliquando a diuturna, & inexplicabili obsidione requi scerent. Antea vero cap.4. dixerat, Maximinum sub Aquileja castra metatum fuisse, quum vicinorum montium nives solutae jam fuerant. *Ut autem*, inquit, *ad fluvium pervenit, qui ad lapidem duodecimum, procul est ab urbe, invenit ipsum maxima alvei profunditate, ac latitudine defluentem: etenim anni tempore solutae vicinorum montium nives, quas longa biems duraverat, maximum torrentem effecerant, sic ut nullo pacto transire exercitus, posset.* Ex his duo desumit Vir. Cl. argumenta. Prius est, quod, quum Maximinus diurno tempore interfectus fuerit in tentorio dum quiesceret, alio tempore quam aestivo hoc dici de eo vix potuerit. Alterum vero, quod si non aestate, sed mense Martio obtruncatus Maximinus sit, obsidio illa, quae, ut ait V.C., *non ante mensem Martium, atque adeo Aprilem, vel Majum incoepta fuisse videtur*, quum nives, ut refert Herodianus, eo anno *longa biems* duraverat, vix antea in ea regione solutae fuisse dici queant, *diuturna, & inexplicabilis* appellari ab eodem Herodiano non potuisset.

Priori difficultati ex diurna, seu meridiana Maximini quiete petitae, (*circa medium* enim *diem* περὶ μέσην ἡμέραν, ait dein Herodianus, Maximini interfectores ad illius tentorium contendisse) satis me jam fecisse opinor, quum capite superiori ostendi, veteribus somnum meridianum quovis anni tempore frequentatum fuisse. Quibus hic addere, juvat, verbum Latinum *quiescere*, ut & Graecum ἀναπαύεσθαι, quo hoc loco utitur Herodianus, non tam *dormire*, quam *vacare otio* significare. Imo postremo hoc sensu illud esse hic accipiendum probare videntur, quae statim subjicit Hero-

ro-

rodianus, nimirum quod is dies *vacuus a pugna* fuisſet, ac *plerique, aut in tabernacula, aut in ſuas quiſque ſtationes conceſſiſſent*. Quis autem otio meridie indulgere, ita proprium aeſtivi temporis eſſe, dixerit, ut cuilibet etiam laboris patientiſſimo homini, idem extra illud tempus haud liceret?

Quod vero ad alterum, quod ſane non levis momenti eſt, argumentum: obſervandum eſt in Graeco Herodiani textu, ubi lib. 8. cap. 4. de vicinorum montium nivibus, quae duratae hieme, atque anni tempore poſtea ſolutae maximum torrentem effecerant, mentio fit, ipſam hiemem *longam*, quemadmodum in Latina Politiani verſione redditur, haud vocari. Επεὶ δὲ ἐγένετο πρὸς τινι ποταμῷ μεγίςῳ ἀπέχοντι τῆς πόλεως σημεῖα ἑκκαίδεκα, τὸ ῥεῖθρον εὗρε διάτε μεγίςου βάθους, καὶ πλάτους φερομένον. τῶν γὰρ ὑπερκειμένων ὀρῶν ΔΙ' ΟΛΟΥ ΧΕΙΜΟΝΟΣ παγέισας χιόνας λύουσα ἡ τοῦ ΕΤΟΥΣ ΩΡΑ παμμεγέθη τὸν χειμάῤῥουν εἰργάζετο. ἄπορ☉ οὖν ἦν ἡ διάβασις τῷ ςρατῷ. *Ut autem pervenit ad quoddam maximum flumen, quod ſedecim lapides ab urbe diſtabat, fluvium invenit maxima profunditate, & latitudine defluentem: Etenim incumbentium montium PER TOTAM HIEMEM denſatas nives ſolvens ANNI TEMPUS quammaximum torrentem effecerat. Difficilis ergo erat trajectio exercitui.*

Praeterea verba illa ejuſdem textus: ἡ τοῦ ἔτους ὥρα *anni tempus*, quamvis vernam ipſam tempeſtatem ſignificare commode poſſint, nihilominus tamen hoc loci peculiarem temporis rationem, ſeu certam aeris, caelive temperiem, qua eorum montium nives ſolvi ſub id tempus potuere, crediderim deſignare. Sic enim iiſdem verbis idem Herodianus utitur lib. 5. cap. 5. temporis rationem ſignificaturus, qua Antoninus Elagabalus, poſtquam a militibus conſalutatus Imperator fuerat, e Syria profectus Nicomediae hiemare, coa-

ctus fuit. Ὁ δὲ Ἀντωνῖνος ἀπάρας τῆς Συρίας ἐλθὼν δὲ εἰς τὴν Νικομήδειαν, ἐχείμαζε, τῆς ΩΡΑΣ ΤΟΥ ΕΤΟΥΣ οὕτως ἀπαιτούσης. *At vero Antoninus e Syria profectus Nicomediae biemavit, ita postulante ANNI TEMPORE*. Eam autem temporis rationem, qua solvi eae nives potuere, perspicuum est, non solum a calore aeris, quod iis certe in locis adultum tunc ver indicaret, sed & ab ingruentibus pluviis, & a flantibus austris induci potuisse, quum his, non modo circa veris initium, sed vel media hieme nives ipsas liquari, fluviosque exinde turgescere, & exundare quotidie videamus. Sic Rubiconem, quum ad illum, Romam petens, Caesar pervenit, auctum hieme tradit Lucanus Belli Civ. lib. 1.

Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis,
Puniceus Rubico, quum fervida canduit aestas,
Perque imas serpit valles, & Gallica certus
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis:
Tunc vires praebebat biems, atque auxerat undas,
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,
Et madidis Euri resolutae flatibus Alpes.

His probe stabilitis, jam non video, cur Aquilejae obsidionem non ante mensem Majum, vel Aprilem, aut etiam Martium aggredi Maximinus potuerit. Quum enim difficultas in primis, quam *longa*, secundum Politiani versionem, ejus anni *biems* creare poterat, sublata sit, ac ostensum deinde, recte etiam secundum Herodianum sub veris initium eorum montium nives resolvi potuisse, nihil vetat, quin eamdem obsidionem vere ipso ineunte incoeptam fuisse, statuamus. Porro veris initium Varroni lib. 1. de Re rust. cap. 31., & Auctori libri De inerrantium significatione, Ptolemaeo tributi, est *ante diem* VII. *Idus Februarias*, Plinio lib. 2. cap. 48. VI. *Idus* ejusdem mensis, & in veteribus Calendariis Romanis V. *Idus* item *Februarias*. Neque mirum

rum videri debet, Herodianum eum in modum, non vero juxta frigoris diuturnitatem, ut vulgus aestimare solet, hiemem eo loci accepisse: quum & Galenus lib. de Praecognit. cap. 10., L. Verum, qui nonnisi exeunte mense Decembri anni Ch. 169. apud Altinum, quae urbs non multum distabat ab Aquileja, apoplexi correptus interiit, *media bieme* fato functum fuisse, scribat, quod nimirum, ut ad dictum annum num. v. observat Pagius, *Historici Graeci biemem a die undecima mensis Novembris incipiant*.

Si itaque circa Idus Februarias ea incoepta obsidio sit: quum eadem postea, juxta ea, quae cap. v. attulimus, usque ad exitum mensis Martii duraverit, totoque ferme eo tempore tanta animi contentione a Maximino, ejusque militibus dimicatum sit, ut *genus oppugnationis nullum*, quemadmodum ait ibidem Herodianus, *praetermitteretur*, *plurimaque*, *ac propemodum quotidiana certamina* ederentur, non video pariter, cur ab Herodiano vocari non potuerit diuturna. Certe brevis ea obsidio censenda non est, quae tamdiu, tantaque alacritate protracta est: praesertim, quum nullo pene negotio eamdem urbem expugnatum iri, civesque *ne unum quidem diem*, ut tradit idem Herodianus eod. lib. cap. 5., *suum laturos impetum*, totus Maximini exercitus antea sperasset.

Sed textum ipsum Herodiani afferamus, ut inde, quid inexplicabilis etiam obsidionis nomine senserit, perspiciamus. παντοδαπῆς οὖν ἀπορίας, καὶ δυσθυμίας τὸν στρατὸν κατεχούσης.... ἔδοξε τοῖς στρατιώταις.... φονεῦσαι τὸν Μαξιμῖνον, ὡς παύσαιντο μὲν χρονίου, καὶ ἀπεράντου πολιορκίας, μηκέτι δὲ πορθεῖεν Ἰταλίαν ὑπὲρ τυράννου κατεγνωσμένου, καὶ μεμισημένου. *Quum ergo rerum omnium penuria, maerorque animi cepisset exercitum .... visum est militibus .... neci dedere Maximinum, ut ab obsidione quidem diuturna, &* ἀπε-

ἀπεράντου requiescerent, minime vero Italiam vexarent, in tyranni gratiam damnati omnibus, & invisi. Hoc in textu deesse in primis, patet, adverbium *aliquando*, quod exstat in Politiani versione, quodque vim quamdam ad rei, de qua agitur, diuturnitatem indicandam proculdubio addit. Deinde Graeca vox, quam bene etiam interpretatur Politianus, *inexplicabilem*, est ἀπεράντου, quae affecta particula negativa ἀ, & derivata ἀπὸ τοῦ περαίνω *perficio, concludo*, rem, quae perfici nequit, aut quae adeo difficilis est, atque ardua, ut nullus ei finis, faustusve exitus sperari possit, significat. Atque hujus generis obsidionem Aquilaeje fuisse, manifeste demonstrat Herodianus eod. cap., ubi postquam maximam in urbe expugnanda difficultatem exposuisset, ait demum, milites eam capere desperantes, atque rerum omnium penuria laborantes, Maximinum obtruncare, decrevisse. Hic obsidionis inexplicabilis sensus: quem Aquilejensi etiam, tametsi ab Idibus dumtaxat Februariis usque ad exitum mensis Martii duraverit, congruere recte potuisse, nemo non videt.

Ceterum multo etiam diuturniorem eamdem obsidionem fuisse, lubens admiserim, si verum sit, quod scribit Capitolinus in Maximin. duobus cap. 21. & 22., etiam antequam fluvius a Maximino trajiceretur, per aliquod tempus inchoatam jam fuisse, ac Maximinum eo transmisso propius dumtaxat, atque acrius illam urgere coepisse. *Acrior denique*, ita rem narrat Capitolinus, *Italiam Maximinus ingressus est. Ubi quum comperisset Maximum contra se missum, vehementius saeviens quadrato agmine Hemonam venit . . . . Post hoc Aquilejam venit, quae contra eum armatis circa muros dispositis portas clausit: nec propugnatio defuit, Menophilo, & Crispino consularibus viris auctoribus. Quum igitur frustra obsideret Aquilejam Maximinus, legatos*

in

in eamdem urbem misit, quibus populus pene consenserat, nisi Menophilus cum collega restitisset.... Ponte itaque cuppis facto Maximinus fluvium transivit, & de proximo Aquilejam obsidere coepit. Ingens autem oppugnatio, & discrimen tunc fuit &c. Sane fluvius, cujus hoc loco meminit Capitolinus, idem videtur, ac quem describit Herodianus, quum hic etiam, illum a Maximino cupis trajectum fuisse, narret: ac legatio, quae Aquilejensibus a Maximino ante fluvii trajectionem missa traditur a Capitolino, ab Herodiano pariter ante fluvii, cujus ipse meminit, trajectionem, atque eumdem ferme in modum, quo a Capitolino, recenseatur. At obstat quidem sedecim lapidum, seu milliarium distantia: quo intervallo Aquileja a Maximino obsideri haud potuisset. Hinc cum Cluerio Italiae Antiquae lib. 1. cap. 20. crediderim, fluvium, cujus meminit Herodianus, Sontium, Italice *Lisonzo*, aut *l'Isonzo* fuisse, ad cujus pontem ab Aquileja tabula vetus itineraria, ut ille observat, habet quatuordecim millia passuum: ac Capitolinum eumdem fluvium per summum (ait idem Cluverius) errorem intellexisse Natisonem, ipsam urbem Aquilejam praefluentem.

Ut ut est, certe vel Herodianus aperte testatur, etiam antequam flumen, cujus ipse meminit, a Maximino trajiceretur, ab aliquot, quae praeiverant, copiis saepe jam, acriterque oppugnatam Aquilejam fuisse. *Sed ubi planitiem attigerunt*, ait Herodianus lib. 8. cap. 2., *nunciant exploratores maximam Italiae urbem Aquilejam portas occlusisse: Pannoniorum acies, quae praeiverant, acriter murum oppugnasse. Ceterum tentata re, saepe omnes incassum conatus evasisse. Itaque jam defatigatos recedere, lapidibus scilicet, & hastis, magnaque sagitarum vi desuper ingruentibus. At Maximinus iratus Pannoniis, quasi parum impigre prae-*

lia-

liatis, ipse cum exercitu reliquo accelerabat, sperans, nullo negotio se illius urbis potiturum. Quare si ab Idibus circiter Februariis usque ad exitum mensis Martii non id temporis intervallum Cl. Vignolio videatur, ut ab Herodiano Aquilejae πολιορκία dici potuerit diuturna, hujus sumat, si velit, initium, quod tamen minime necessarium esse existimo, a tempore, quo antequam fluvius a Maximino transmitteretur, obsideri, aut oppugnari urbs coepit. Certe in finem usque mensis Julii, aut proximi Augusti initium, ut ipse V. C. autumat, durare eamdem non potuisse, satis evincunt, quae cap. v. & vi. attulimus. Si enim nonnisi circa finem Julii, aut initium Augusti anni Ch. 238. Maximinus obtruncatus a militibus sit, neque Maximus & Balbinus nisi circa Idus Octobres ejusdem anni fuissent interfecti: quod tamen tum ex insigni Censorini loco, e correctioribus quidem ejus editionibus recitato, tum ex duabus supra triginta Gordiani Pii legibus, aliisque duodecim Philippi, tum denique ex nummo Herennii Etrusci ab Anazarbensibus cuso falsum prorsus esse demostravimus.

CAPUT IX.

Cl Vignolii argumentum ex nummo Anniae Faustinae tertiae Elagabali uxoris, & ludis Olympicis in eodem nummo expressis desumtum. Idem argumentum non satis consentit cum ejusdem V. C. sententia de tempore necis Elagabali. Ludi Olympici, qui Elide committebantur, aestate quidem celebrati, non vero qui in aliis Graeciae, aut Asiae urbibus. In nummis ludi simul juncti occurrunt, qui tamen diversis temporibus fieri soliti. Ex pluribus urnis, quibus ludi in nummis repraesentantur, colligi nequit, diversis temporibus eosdem ludos fuisse celebratos.

Phi-

Philippi Bonarotae de his pluribus urnis sententia. Certamina Olympia in nummis modo cum Actiis, modo cum Pythiis copulantur, atque his modo anteponuntur, modo postponuntur. Ejusdem Philippi Bonarotae de variis illis ludorum appellationibus opinio. Olympia Antiochiae edita mense Hyperberetaeo, seu Octobri.

QUod hactenus aliquot Lampridii, & Herodiani testimoniis probare, Cl. Vignolius studuit, idem singulari, atque eleganti Anniae Faustinae tertiae ejusdem Elagabali uxoris maximi moduli numismate a Laodicensibus in ejus honorem percusso demum demonstrat. In priori parte hujus nummi, cujus ectypum ex museo Theupoliano V. C. exhibet, circa ipsum Anniae caput legitur: ANNIA ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ ΑΥΓΟ.... *Annia Faustina Augusta*. In posteriori urnae quatuor visuntur, supra quas characteres isti reliqui apparent... ΩΝΑ ΟΛ... Ι... ΩΝΕ... quos ita ipse, ac non aliter suppleri posse, existimat, nempe: ΑΓΩΝ . Α . ΟΛΥΜ . ΑΝΤΩΝΕΙΝ. *Certamen primum Olympium Antoninianum*. Infra vero legitur: ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟϹ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *universale*, certamen scilicet, *Laodicensium Neocororum*: hoc est, *Laodicensium*, ait, V. Cl., *ad Lycum, qui Elagabali, & Anniae Faustinae sponsalium nuncio habito in illorum honorem ludos Antoninianos, ab Elagabali nomine sic eos appellantes, pro more instituere voluerunt*. In medio proxime sub Urnis legitur: ΔΟΓΜΑΤΙ ϹΥΝΚΛΗΤΟΥ. *Decreto Senatus*. *Quos ludos*, addit V. C., *nonnisi post quartum imperii Elagabali annum, & quinto jam inito habitos fuisse Aegyptiacus ipsius Anniae Faustinae nummus, cujus Vaillantius meminit, anno illius imperii V. signatus, manifestum facit: Ex eo namque Elagabalum tunc temporis Anniam despondisse pro com-*

per-

perto habemus. Certamina vero, demum subdit, *Olympica circa solstitium aestivum committi, ac celebrari solita fuisse, non est, qui dubitet. Idque summi Chronologorum Scaliger, & Petavius jam praemonuerunt: uti etiam Philippus Labbaeus vir itidem doctissimus etc.*

Priusquam huic argumento respondeamus, adnotare liceat, illud cum die atque mense, quo interfectum Elagabalum V. C. censet, haud satis consentire. Si enim verum est, quod apud Xiphilinum scribit Dio, Elagabalum post tertiam uxorem, quae fuit, ut vel ipse fatetur, Annia Faustina, aliam, atque aliam duxisse, dein iterum ad Aquiliam Severam, quam ante Anniam Faustinam repudiaverat, rediisse: ac ludi illi Olympici nonnisi post quartum annum imperii Elagabali, ac quinto jam inito habiti sunt, ut probat ex nummo Aegyptiaco ipsius Anniae Faustinae, & quidem circa solstitium aestivum ejus anni, quo tempore certamina Olimpica celebrari solita fuisse, demonstrat; qui fieri potest, ut intra illud tempus, ab editis nimirum circa solstitium aestivum iis certaminibus usque ad diem XI. Julii, quo per ipsum exstinctus Elagabalus, post Anniam Faustinam duo alia matrimonia idem Elagabalus inierit, ac demum ad Aquiliam Severam redierit? Sed quoniam, ut ostendat, certamina Olympica circa aestivum solstitium celebrari solita fuisse, summos Chronologorum Scaligerum, & Petavium advocat: ut calculum hac in re paullo accuratius ineamus, horum sententiam, de tempore, quo eadem ludicra exhibita, paucis complectamur.

Scaliger, quum ex Pindaro nosset, ludicrum Olympicum Plenilunio committi consuevisse, & anni cardines, hoc est τροπὰς καὶ ἰσημερίας; *solstitia, & aequinoctia* Iphiti temporibus confici in octavis signorum par-

partibus existimaret, atque ita τροπὰς θερινὰς *solstitium aestivum* VIII. die Julii fuisse, quo nempe πλατικῶς uti ait, sol tunc erat in octava parte Cancri: hinc & mensem primum Olympicum, in cujus quintamdecimam ipsum ludricum Olympicum incidebat, incoepisse statuit proxime post VIII. diem Julii; ita ut primus hic mensis nunquam eum diem antecederet, sed citima quidem neomenia esset in IX. Julii, remotissima vero in VI. Augusti. Sic quum Olympiade prima ineunte haec neomenia ipso die IX. Julii contigisset, ideo & ludrica Olympica celebrata fuisse statuit in hujus plenilunio, id est die XXIII. Julii. Videsis Scaligerum de Emendat. Temp. lib. I. & Isagog. Can. lib. 3. in cap. 5. Atque ita quidem antequam Elidenses Juliani anni formam admisissent. Post acceptam vero formam Julianam caput Hecatombaeonis, seu primi mensis fixum ab iisdem Elidensibus fuisse docet Calendis Juliis, ductus quodam Luciani loco in vita Peregrini; statuitque Agonem Olympium celebratum tum fuisse die XV. ejusdem mensis. Sic de Emend. Temp. lib. 4. Si igitur secundum Scaligerum post receptam Juliani anni formam ludi Olympici celebrabantur die XV. Julii, atque hac die commissi ludi quoque sunt, qui in eo nummo Anniae Faustinae repraesentantur, & quidem anno Ch. 222., commissi iidem erunt post mortem Elagabali, qui per Vignolium interfectus fuit die XI. Julii. Sic secundum Scaligerum.

Petavius vero lib. I. de Doctr. Temp. cap 12., quum eam scaligeri, quam supra ex ejus lib. I. de Emendat. Temp. recitavimus, doctrinam de primi mensis Olympici neomenia, quae nunquam diem IX. Julii, atque adeo solstitii terminos antecederet, recensuisset, probabilius existimavit, eamdem Neomeniam apud Graecos etiam ante solstitium quandoque incipere potuis-

ſe: ac quemadmodum Judaei, & poſt illos Chriſtiani primum menſem non novilunii, ſed plenilunii obſervatione definiunt, ſic ipſos Graecos ob Olympicas celebritates, quae plenilunio peragebantur, plenilunii maxime rationem habuiſſe, ita ut quod ſolſtitio vicinius eſſet, id primo menſi tribuerent; niſi forte, addit, ad neomeniam potius in iſto negotio reſpexerint; ut quae ſolſtitio propinquior eſſet, ei primas deferrent. Non abſimilia habet lib. 9. cap. 42., & alibi. Ludi ergo Olympici Petavii judicio fiebant aut plenilunio, quod proxime poſt ſolſtitium contingebat, aut quod vicinius eidem ſolſtitio erat, ſive ante, ſive poſt illud incurriſſet. Neque vero ullum dein diſcrimen ſtatuit Petavius, quemadmodum egerat Scaliger, pro tempore ante, vel poſt Julianam anni editionem: imo lib. 4. cap. 7. argumentum Scaligeri ex loco Luciani deſumtum nullum plane eſſe oſtendit, miraturque, illum, tametſi Elidenſes re vera Julianam anni formam accepiſſent, agonem Olympicum, contra vetus inſtitutum, alio tempore quam plenilunio peractum, docuiſſe. Porro anno Ch. 222. quo occiſus Elagabalus, idem exſtitit plenilunium, tum quod aeſtivo ſolſtitio (Calippico quidem, quod erat die XXVII. Junii) vicinius fuit, tum quod proxime poſt ipſum ſolſtitium ſequutum eſt. Commiſſum namque fuit die XI. Julii hor. 7. 13'. 39". a media nocte, quum neomenia lunaris ſolſtitio proximior accidiſſet die XXVI. Junii hor. 12. 51'. 37". a media nocte, uti quidem ſupputationem inſtitui juxta regulam, quam tradit idem Petavius de Doctr. Temp. lib. 7. cap. 11. ex tabulis ab ipſo ad meridianum Lutetiae confectis annorum expanſorum, & collectorum &c. Ipſo igitur die, quo per Vignolium interemtus Elagabalus, celebrati quoque ſecundum Petavii doctrinam ii Olym-

ii Olympici ludi fuissent. Ac licet iidem inchoari etiam potuissent, dum adhuc in vivis is esset, nimirum die VII. Julii, quum, ut ex Pindari Scholiaste, & Ztetze Comment. ad Lycophronem post Scaligerum observat idem Petavius lib. 9. cap. 46., quinque dierum spatio ab XI. die lunae ad XV. committerentur, nihilominus tamen intra eum diem, aut etiam intra tempus, quo ignorari iis in locis potuit repudiatio Anniae Faustinae, & diem XI. Julii, quis Elagabalum ipsam Anniam Faustinam dimisisse, duo alia conjugia iniisse, & demum ad Aquiliam Severam rediisse, unquam credat? Haec afferre placuit, ut ostenderem, Cl. Viri argumentum, si cujuspiam roboris sit, necem Elagabali probare, non solum usque ad diem XI. Julii, quae illius est opinio, sed aliquanto etiam longius esse protrahendam.

Ceterum, illud pro certo ipsum quoque Virum eruditissimum habere non dubito, Olympia illa certamina, quae in eo nummo cernuntur, non ex iis prorsus esse, quae in Graecia anno primo ineuntis cujusque Oympiadis, atque Elide quidem in Jovis Olympii honorem, committebantur; sed ex genere eorum fuisse, quae ab aliis Greciae, aut Asiae urbibus ad Olympiorum fortassis quae ab Elidensibus fiebant, imitationem, in alicujus sive Numinis, sive Imperatoris honorem instituebantur, aut statis etiam, si velimus, temporibus renovabantur. A Tyriis eidem Elagabalo similes ludos Olympios dicatos fuisse, constat ex nummo hujus Imperatoris apud Patinum de num. med. & min. form. pag. 334., ut & ab Ephesiis, ac Sidetibus, ex nummis ejusdem Elagabali apud Vaillantium in nummis Graecis; quae duo quidem postrema certamina, ab Ephesiis, ac Sidetibus celebrata, ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ pariter inscribuntur.

Priores Olympicos ludos aeſtate de more celebratos fuiſſe, verti in dubium non poteſt. Num autem & qui poſterioris generis eodem tempore ederentur, multum ego ſane dubitaverim, imo veriſimilius crediderim, eos, quum ſolennioris alicujus feſti celebrandi ratio poſtulaſſet, exhibitos fuiſſe. Certe in nummis certamina ſimul juncta paſſim occurrunt, quae tamen diverſa, diverſiſque fieri temporibus, conſueverant. Duos Antonini Caracallae nummos ab Ancyranis percuſſos profert Morellius in Specim. rei numm. pag. 92. in quibus legitur: ΑΣΚΛΗΠΙΑ ΣΩΤΗΡΕΙΑ ΙΣΘ. ΠΥΘΙΑ. His nummis certamina ab Ancyranis in honorem Aeſculapii Servatoris facta, quae proinde ΑΣΚΛΗΠΙΑ ΣΩΤΗΡΕΙΑ dicta ſunt, indicari, eademque ΙΣΘΜΙΑ ΠΥΘΙΑ, quamvis diverſa ceteroqui certamina haec eſſent, vocari, docet Vir praeſtantiſſimus Ez. Spanhemius in epiſtola ad ipſum Morellium eidem Specimini inſerta: obſervatque, in quadam etiam inſigni Ancyrana Inſcriptione apud Gruterum pag. cccCXVI. *Aſclepia Iſthmia Pythia* itidem conjungi. Pagina vero ejuſdem ſpeciminis 100. de ſimilibus ludis ab urbibus inſtitutis, aut ſtatis temporibus renovatis loquens idem Spanhemius, eos factos frequenter affirmat, ubi aliqua Dei aedes ſolenni ritu, aut pompa erat dedicanda; unde & ab Ancyranis ſimili forte occaſione nummos illos Caracallae cuſos fuiſſe, autumat.

Eadem Olympia certamina in nummis aliquando cum Actiis, aliquando cum Pythiis, ut & Pythia ipſa cum Actiis, aliiſque copulata conſpiciuntur. Sic nummum Elagabali laudat Vaillantius a Pergamenis percuſſum, in quo menſa, ſupra quam duae urnae decumbentes, in quarum priore ΑΚΤΙΑ, in altera ΟΛΥΜΠΙΑ infra duae palmae. Alium recitat ab iiſdem Pergamenis Valeriano dicatum, in quo menſa, ſupra quam

ΟΛΥΜ-

ΟΛΥΜΠΙΑ, & desuper in area ΑΚΤΙΑ, supra mensam corona, hinc, & inde urna, in quibus palma, infra vas diotum. Nummum vero refert Caracallae pariter a Pergamenis scalptum, in quo duae urnae supra mensam, in priore ΟΛΥΜΠΙΑ, in altera ΠΥΘΙΑ, infra duo rami lauri: aliumque Tranquillinae a Trallianis, in quo ΠΥΘΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ, ac cernuntur duae coronae supra mensam pro victoribus.

Non diffitemur, praestantium plurium antiquariorum, atque ipsius etiam Spanhemii opinionem esse, quum in nummis varia id genus certaminum nomina conspiciuntur, non unum semper, eumdemque agonem, sed diversos, eosque non uno, eodemque tempore celebratos indigitari. Quod quidem verum esse, vel ipse crediderim, si de ludis, variis diebus, sed eadem alioqui celebritate, eodemque festo agitatis, sermo sit, secus vero, si de agonibus diversis, diffitisque temporibus, diversorumque festorum gratia celebratis. Neque enim hoc evincitur, ut saepe inculcat Vaillantius, ex pluribus urnis, seu lebetibus cum palmis, qui in ipsis nummis exhibentur; quum colligi potius hinc possit, uti colligit re ipsa Vir sapientissimus Philippus Bonarota Senator Florentinus in Observationibus in numismata max. mod. Em. Card. Carpinei pag. 179., in iisdem ludis, non unum dumtaxat, sed plura praemia proposita fuisse. Quod clare etiam probatur ex Virgilio lib. 5. Aeneid., ubi inter praemia, quae in ludis in memoriam Anchisis celebratis proposita fuere, bini etiam aerei lebetes, cymbiaque argentea, quae vasa pariter erant in cymbae fortassis formam confecta, recensentur.

Tertia dona facit geminos ex aere lebetas,
Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis.

Ut ut est, illud profecto in animum inducere nequeo, hujuscemodi sive Actia, sive Pythia, sive Olympia certami-

tamina, eodem prorsus anni tempore, quo Actia, quae apud Actium, seu Nicopoli, Pythia, quae Delphis, & Olympia, quae Elide committebantur, edita fuisse. Si enim ita illa edita, cur iis in nummis modo Olympia Actiis, & Pythiis, modo contra Actia, & Pythia Olympiis praeponuntur? Certe ut Olympia, quae Elide, ita Actia, quae Nicôpoli, & Pythia, quae Delphis, statis temporibus agitabantur: ac quidem Olympia, aestate, ut supra dictum est, circa solstitium, Pythia vere mense Elaphebolione, ut ex Thucydide luculenter demonstrat Petavius de Doctr. Temp. lib. 1. cap. 33., & Actia aut itidem aestate, & eodem die quo Olympia ab Elidensibus, uti censet Scaliger de Emend. Temp. lib. 5., aut, ut probabilius ego existimaverim, die secunda Septembris, qua Actiaca Victoria ab Augusto reportata est, in cujus nimirum memoriam Actia ipsa certamina ab eodem Augusto instituta fuere, ut docet Dio lib. 51., vel, ut Strabo lib. 7., instaurata. Vaillantius de ludis Olympiis agens, quum laudatum Tranquillinae nummum a Trallianis percussum retulisset, in quo prius ΠΥΘΙΑ dein ΟΛΥΜΠΙΑ leguntur: *Pythia*, inquit, *Olympiis anteponuntur, quod illa vere, & haec media tantum aestate ederentur*. Postea vero de Pythiis agens, nummum Caracallae a Pergamenis cusum explicaturus, in quo prius ΟΛΥΜΠΙΑ dein ΠΥΘΙΑ conspiciuntur, aquam sibi hic haerere animadvertens, hanc anceps rationem proponit. *Pergameni*, inquit, *Pythia, & Olympia certamina sub Caracalla se celebrasse per nummos indicant: sed cur in hoc Olympia in dexteriore parte, & sic Pythiis anteponuntur, quum haec vere, illa autem aestate ederentur? At quum nihil sine caussa in nummis signatur, an quod Olympia finitis jam Pythiis prius sub Caracalla agitata sint? quum ille hoc tempore, aut Cae-*

sar,

ſar, vel Auguſtus renunciatus eſſet. Quidquid autem de iſtiuſmodi reſponſione ſit, eamdem profecto difficultatem in aliis quoque nummis deprehendimus. Sic enim nummos ipſe plurimos affert, in quibus certamina Actia Pythiis anteponuntur, quum tamen & ipſa Actia apud Actium, ut Olympia Elide, aeſtate, aut autumno ineunte celebrarentur. Hinc non video, cur de ipſis Actiis agens, quum nummum recitaſſet Philippi ſenioris a Theſſalonicenſibus cuſum, in quo prius AKTIA dein ΠΥΘΙΑ leguntur, eo anno ſcribat, Actia & Pythia eadem anni tempeſtate occurriſſe; ut & nummum poſtea explicans Elagabalo a Perinthiis dicatum, in quo pariter Actia Pythiis anteponuntur, hoc factum doceat, quod Actia ante Pythia peragi conſueverant, eademque ſaepe conjungi, quandoquidem ea erant quaſi aliorum continuatio. Si enim Pythia vere, & Actia aeſtate, aut autumno fiebat, quomodo eadem anni tempeſtate occurrere poterant, Actiaque de more ante Pythia peragi? Rurſus ſi Actia ante Pythia peragi conſueverant, qua ratione poſtea aliquando, ut ſupra vidimus, ipſis Actiis Olympia, quae circa ſolſtitium aeſtivum edebantur, ponuntur? Si recte iterum ipſis Actiis Olympia anteponuntur, cur dein nonnunquam iiſdem, uti pariter vidimus, ipſa Olympia poſtponuntur? Illud ergo, ut ab his nos difficultatibus expediamus, dici rectius, poſſe videtur, in hujuſce generis certaminibus, ſive Actiis, ſive Pythiis, ſive Olympiis edendis nullam habitam rationem fuiſſe temporis, quo vel apud Actium, vel Delphis, aut Elide eadem ludrica committebantur: ſed peracta tunc tantum fuiſſe, quum feſti cujuſpiam celebrandi ratio, atque opportunitas, ut ſupra diximus, exegiſſet.

Sed omittenda hoc loco non eſt ſuperius laudati Philippi Bonarotae, de hujuſmodi certaminum appellatio-

lationibus, opinio: quod illa nempe majoris honoris dumtaxat caussa nuncupata ita fuerint, ludisque Graeciae, a quibus ea nomina mutuabantur, similia esse potuerint, vel in numero, & qualitate decertantium, vel quod ad Apollinem, in assentationem Imperatorum, referebantur, vel quod eidem numini pro salute ipsorum Imperatorum dicabantur, vel denique in multitudine, opulentia, praestantiaque praemiorum, quae in nummis ab urnis, in quibus palmae, indicantur. Videsis doctissimas ejus Observationes pag. 150. 151. 173. Imo pag. 317. ad ludos praesertim Olympios quod adtinet, sic quaedam ludrica, in honorem Hadriani a Smyrnaeis celebrata, vocata fuisse censet ex Olympii nomine, quod ab Jove desumtum ipsi primum Hadriano tributum fuit, atque id alias postea urbes, quum ludos aliis Imperatoribus dicarunt, imitatas.

His adjicere possumus, Olympia, quorum edendorum facultatem Claudii Imperatoris edicto redemisse ab Elidensibus Antiochenos anno Aerae eorum XCII., narrat Joannes Malala, vel Malela Hist. Chronicae lib. 10. pag. 320., non aestate uti Elide, sed mense Hyperberetaeo, seu Octobri, ut auctor est idem Malela celebrari ab ipsis Antiochenis solita fuisse. Ad hos ludos Antiochiae singulis quinquenniis per triginta dies edendos, quidam Sosibius Senator Antiochenus Augusti temporibus, quindecim auri talenta urbi annuatim solvenda legaverat: atque ex his reditibus primitus quidem ludos hos *Gymnasiarchae*, ait idem scriptor pag. 321., *celebrabant, deincepsvero lucellum captantes, celebrationem hanc penitus omittebant; donec tandem divino Imperatoris Claudii edicto, Primoribusque urbis postulantibus ad id coacti Olympia a Pisaeis redimebant. Tum vero*, subjicit, *cives universos monebant, se solemnia Olympia* (*quae antea fuerant*) *illis exhibere paratos;*

tos esse; quibus eos se accingere bortabantur. Annuentibus itaque urbis Primoribus, cum sacerdotibus omnique Populo, ludi illi Scenici, Athletici, Thymelici Tragici, Equestriaque certamina, sicut olim per XXX. *dies celebrata sunt: facto initio a novilunio mensis Octobris singulis lustris recurrentibus.* Iidem ludi, quum processu postea temporis Gymnasiarcharum, seu Magistratuum, quibus cura ipsorum ludorum commissa erat, fraude, avaritiaque intermitterentur, nec statis, ut antea, temporibus, ut narrat eodem loco Malela, celebrarentur, rite postea sub Commodo instaurati sunt, cautumque Imperatoris hujus edicto, ut in Jovis Olympii, cui fanum ipse Antiochiae erexerat, honorem, *quinto quoque anno per* XLV. *dies continuos* exhiberentur *in festis*, ut ait idem Malela lib. 12. pag. 373. *Anathematum, sive sacrificiorum, quae ex consuetudine peragi solebant, Panemo, sive Julio, & Loo, sive Augusto mensibus.*

Ad uberiorem argumenti a Cl. Viro allati refutationem non adducam hic tandem aliam literarum, quae in memorato nummo Anniae Faustinae supersunt, interpretationem traditam a Viro toti orbi literario notissimo R. P. Harduino in Dissertatione, Trevoltian. Ephemer. tom. mensis Augusti anni 1713. art. CXX. pag. 1416., inserta, neque non singularem ejusdem de Annia Faustina opinionem, laudata quidem Dissertatione subindicatam, sed luculentius in *Historia Augusta ex nummis antiquis Graecis, Latinisque restituta*, inter ejus *Opera selecta Amstelodami* anno 1709. edita, explicatam, quod ea nempe non uxor Elagabali esset, sed soror Severi Alexandri. Quod enim ad literarum ab eo excogitatam interpretationem, manifestum est, illam literis ipsis, quae in nummo observari, Cl. Vignolius, aliique viri eruditissimi, qui nummum con-

M tre-

trectarunt testantur, non omnino respondere. Quod vero ad ejus opinionem de Annia Faustina, quum hanc ille ex nummo potissimum ejusdem Augustae colligat, quem prioris Dissert. cap. iv. adulterinum esse diximus, haud multi est facienda.


Pluribus quidem in laudata Dissertatione Trevoltianae Ephemeridi inserta nummum illum vindicare satagit idem P. H., sed de his parergi loco capite sequenti agendum.

CAPUT X.

Parergon de nummo Anniae Faustinae R. P. Chamillardi. Singularis R. P. Harduini de Annia Faustina opinio. Nummus P. Chamillardi adulterinus. Afferuntur, ac refutantur argumenta quibus P. Harduinus nummum vindicat. Nummus, ex quo desumtum caput Anniae Faustinae nummi P. Ch., non fuit max. moduli, sed primi moduli ad formam max. moduli redactus. In nummo P. Ch., quum primum conflatus fuit, erant literae CEB., sed duae postremae ab artifice stylo postea abrasae fuerunt. Duo alii nummi una cum nummo P. Ch. conflati. Nummus Antonini Pii, cujus aversa pars simillima est aversae parti nummi P. Ch., exstat in museo Mediceo. Nummus P. Ch. fusus est, non cusus. Ars modulos plumbeos primi moduli ad formam nummi maximi moduli redigendi, & ex duobus modulis plumbeis unum quempiam nummum conficiendi. Literae in nummo P. Ch. inscriptae ferreis instrumentis, quae Italice Ceselli, *insculptae. Testimonia de rerum narratarum veritate.*

IN cimelio R. P. Chamillardi, sat notum cuique est, adservari nummum maximi moduli Anniae Faustinae, in cujus priori parte visitur caput ipsius Anniae Faustinae in lunae crescentis effigie cum


cum epigraphe: ANNIA ΑΤΡΗΛΙΑ ΦΑΤϹΤΕΙΝΑ, in posteriori vero legitur: ΕΠΙ ϹΤΡ. ΚΤΡΙΝΟΤ ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ ΑΟϹ. hoc eſt, *ſub Praetore Cyrino Raphaneotarum* CCLXXI. Eſt haec *Aera Caeſariana*, ait P. Harduinus in Hiſt. Aug. pag. 820., *ab anno V. C.* DCCV. *Annus exinde* CCLXXI. *incidit in Septembrem anni hujus aerae Chriſtianae* 222. *V. C.* 975., *qui Severi Alexandri primus eſt. Fuit hujus civitatis aera ignota hactenus, quoniam hic nummus eximius latuit antiquariis uſque in hunc diem. Eſt in cimelio P. Chamillart ex aere magno, eximiae fabricae „ ſummique nitoris.* Et aliquanto poſt: *Ex hoc igitur*, inquit, *nummo diſcimus, non fuiſſe uxorem Antonini Elagabali Anniam Fauſtinam, ut vulgo credunt antiquarii, ſed Severi Alexandri ſororem*. Ejus nummi ectypum prioris noſtrae Diſſertationis pag. 68. dedimus, rurſuſque hic damus.



Simillimum autem nummum, ejuſdem noſtrae Diſſert. pag. 74. diximus, nonnullos ab hinc annos quemdam antiquitatum ſtudioſum, ut acceperam, formaviſſe. In antica parte caput Anniae Fauſtinae, & nomen ex nummo maximi moduli ſumſiſſe dixeram, ac quoniam inter ANNIA & ΦΑΤϹΤΕΙΝΑ plus aequo ſpatii

 idem

idem reliquerat, quum nosset ex Xiphilino, Anniam hanc neptem fuisse M. Aurelii Antonini, ut inane illud repleret, nomen alterum ATPHAIA interjecit. In postica parte, dixi, eum usum fuisse typo cujuspiam nummi primi moduli Antonini Pii, cujus hunc pariter ectypum dedimus.



Verba ΕΠΙ CTK. KTPINOT, dixi, eum sumsisse e nummo Elagabali a Smyrnaeis cuso, qui apud Vaillantium, ΡΑΦΑΝΕΤΩΩΝ ex alio nummo ejusdem Imperatoris apud ipsum Vaillantium, & Epocham tandem AOC. ex nummo Botryenorum eidem Elagabalo apud eumdem Vaillantium percusso, inscriptoque anno OC., cui numero unitatem etiam A. ex arbitrio, nullaque sibi proposita fraude, adjecit. Nummum hunc monui a caelatore alteri antiquitatum studioso prope dono traditum fuisse, ab hoc in praeclari viri, ut vocant, Ultramontani manus transiisse: ac tandem typos plumbeos me vidisse, testatus sum, quorum ope idem nummus conflatus.

Porro narrationem hanc tamquam puram putam fabellam traducit P. Harduinus in Differt., inserta Trevolt. Ephemer. tom. mensis Augusti anni 1713. art. cxx. pag. 1416. inserta: aitque pag. 1434., *ne verbum quidem*, ita fidenter loquitur, *in ea reperiri*, quod non aperte de-

demonstret, assertum falsarium falsarium re vera non esse, sed callidum quempiam hominem fuisse, qui mea abusus est credulitate, ut dolori suo indulgeret, quod is nummus ejus e manibus elapsus fuisset, atque in Galliam commeasset. Ac primum quidem, plura exstare numismata, ait, *quae eumdem in modum falsitatis possent accusari, ea nimirum, quorum partes omnia in aliis nummis reperiri queunt, quae sane sunt magno numero*. Quae argumentatio unde ducatur, aut cui nitatur principio, non video, quum non ideo nummum P. Chamillardi falsum esse, ego probaverim, quod aliis in nummis partes ejus deprehendantur, sed factum recensui, ac modum, quo nummus conflatus fuit, nummosque indicavi, unde singulae ejus partes desumtae. Subjicit deinde, *praecipua narrationis ejus capita falsa esse*. Ac primo petit, ubinam falsarius viderit *nummum maximi moduli, ex quo caput, & nomen Anniae Faustinae desumsit? Neque enim ullus alius*, subdit, *quod sciamus, uspiam gentium est, praeter nummum D. Theupoli, quem tamen falsarius non vidit*. Fateor profecto, e nummo D Theupoli nihil falsarium, in efformando P. Chamillardi numismate, accepisse, tametsi antequam in ipsius D. Theupoli manus devenisset, eum viderit, ac contrectaverit, imo eo viso libido illum, de alio similis moduli nummo conficendo, tunc incesserit. Modulum plumbeum, ex nummo Latino primae magnitudinis Anniae Faustinae, qui in Veneto quodam satis celebri museo adservabatur, expressum, una cum aliis permultis artifex ingeniosus habebat. Hunc, quum abrasis prius Latinis literis ad formam nummi maximi moduli (quod quemadmodum fieri possit, infra dicemus) redegisset, literas ANNIA ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ, imo, ut modo accepi, etiam CEB. inscripsit, magno quopiam relicto intervallo inter ANNIA & ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ, quod inane

ne

ne postea ut repleret, aliud nomen ΑΤΡΗΛΙΑ interjecit. Dixeram, eum caput, & nomen Anniae Faustinae ex nummo max. mod. efformasse, quod laudatum modulum plumbeum ad formam nummi maximi moduli redactum conspexissem, nec morosius quaesissem, num nummus e quo ductus is fuerat, primi, vel maximi moduli fuisset: ut contra nummum Antonini Pii, cujus typo in aversa parte idem usus fuerat, primi moduli esse notavi, quum nummum ipsum, (simillimus enim exstat in Museo Mediceo) manibus ego meis tractavissem.

Ex his autem corruunt etiam ea, quae mox subdit P. H., nimirum falsarium, si ex nummo quopiam maximi moduli id nomen accepisset, spatium illud relicturum haud fuisse; quum falsarius quod imitari desiderat, studeat, quam fieri potest, accuratissime repraesentare. Neque enim revera, ut modo ajebam, id nomen ex alio nummo mutuatus est, sed quum modulum plumbeum nummi primae magnitudinis haberet, eumque ad formam max. mod. redegisset, literas dein, ut in aliis nummis Graecis, efformavit, nimioque relicto spatio inter ANNIA & ΦΑΥCΤΕΙΝΑ, quum nollet ex Xiphilino ipsam Anniam Faustinam M. Aurelii Antonini neptem fuisse, nomen ΑΤΡΗΛΙΑ adjecit. Qua quidem in re neque stupidum, neque ingeniosum, ut ille postea ait, sese exhibuit artifex: quum nihil facilius sit, quam plus aequo spatium eo modo relinquere, nec multo ingenio opus sit, ut Xiphilinum quis legat, ab eoque Anniam Faustinam neptem M. Aurelii Antonini fuisse discat, tametsi Dissertationem P. Chamillardi antea non legerit: quasi scilicet P. Chamillardus, ut nummum illum (quod etiam falsum esse infra dicemus) ita Codicem Xiphilini unus possideret.

Ut ut est, prosequitur P. H., *nummos Graecos Juliae Cor-*

Corneliae Paulae primae Antonini Elagabali uxoris falsos esse, ac falsarium quempiam, quum inter ΙΟΥΛ. & ΠΑΥΛΑ *aliquod intervallum reliquisset, ut illud postea impleret,* ΚΟΡΝΗΛΙΑ *addidisse, dixeris, quod in omnibus Latinis nummis, ac in Graecis etiam aliquot id nomen desit?* Neque hac unquam ego ratione usus sum, ut falsum ostenderem nummum P. Chamillardi; sed factum, ut superius etiam monui, recensui, ac modum, quo nummus conflatus.

Rogat iterum P. H., ubinam falsarius viderit *nummum max. mod. Anniae Faustinae in quo Augustae titulus scalptus non sit? In nummo enim D. Theupoli legitur* ΑΥΓΟ. *pro* Αὐγούστα. *Si hic archetypus cur simul verbum* ΑΥΓΟ *non sumsit falsarius? In aliis Graecis nummis Anniae Faustinae, qui non exstant nisi ex medio aere, visitur* ΣΕΒ., *ac quod caput est, in ipso nummo P. Chamillardi exstat litera* C., *aeque ferme conspicua, ac reliquae literae, pro* Σεβάστη. *Cur hujus literae falsarius non meminit? Haec ratio, quia illa deest in ectypo in Ephemeride impresso, quum eamdem negligentia sua Calchographus omiserit, licet spatium ceteroqui sit, ubi esse oporteret*. Acrius urget argumentum. *Si P. Valsechius typos plumbeos nummo conficiendo adhibitos recte examinasset literam quoque* C. *deprehendisset. Quae si vere in iis non exstat, ut adnuere videtur falsarius, typi plumbei P. Valsechio visi nummo P. Chamillardi conficiendo inservire non potuere*. Sic P. H.

Si litera C. in nummo P. Chamillardi aeque ferme, ac reliquae literae, conspicua est, cur, rogo nunc ego, P. Chamillardus eam non observavit? In Ephemeridis ectypo Chalcographus, ait P. H., eam praetermisit. Praetermiserit vero: sed cur praetermisit in epigraphis ejusdem nummi recitatione, in tota sua Dissertatione, semel iterumque edita P. Chamillardus? Non

eo

eo mea haec ſpectat interrogatio, quod negare velim eam literam in nummo reperiri; ſed ut interim animadvertam, mirum non eſſe, quum id ego factum deſcribebam, de eadem litera, imo & de aliis duabus E & B, quas in typo plumbeo videram, non cogitaſſe, dum ipſe P. Chamillardus, qui prior nummum edidit, & ex profeſſo de ejuſdem nummi epigraphe egit, eamdem literam prorſus neglexit. Ego ſane, quem ejus nummi exhibui, ectypum, non ex typo plumbeo, quem videram, deſcribi curaveram, ſed ex impreſſo, & quidem, ut verum fatear, in Ephemeride, non Trevoltiana, ſed Veneta: P. Chamillardus vero, ſuum ectypum ex ſuo ipſo nummo, quem prae manibus habebat, ac ſingulari explanare Diſſertatione nitebatur, expreſſit. Ad rem. Falſarius in ſuo typo plumbeo literas, ut ſupra dixi, ANNIA ΑΥΡΗΛΙΑ ΦΑΥCΤΕΙΝΑ CEB., efformaverat, eaeque recte etiam in nummo P. Chamillardi, quum fuſus fuit, inſcriptae fuerant. Quoniam vero in ipſo nummo P. Chamillardi ubi erant poſtremae literae E., & B. perexigui aliquot fuſi aeris globuli obſervabantur, ne hi fuſi nummi indicio eſſe poſſent, ſtylo eaſdem eradere ſtuduit, ſimulque duas illas literas ferme expunxit. En unde factum, ut in nummo P. Chamillardi ſola litera C. conſpiciatur. Duo alii nummi, ut recens accepi, ex iiſdem typis eodemque tempore prodiere, quorum alterum, qui ſane etiam pulcherrimus, quum his diebus una cum doctiſſimis viris Antonio Maria Salvinio, Joſepho Averanio, & Sebaſtiano Bianchi inſpexi, literas omnes CEB. probe in eo inſcriptas perlegi.

Rurſus petit P. H., unde falſarius acceperit *nummum Antonini Pii, cujus averſa pars adeo ſimilis eſt parti averſae nummi Anniae Fauſtinae? Non audet*, ſubjicit, *muſeum prodere, neque auctorem, unde illum mutuatus*

eſt,

est. At ego eum detexi. Quum Dianam in nummo P. Chamillardi vidisset, qualis est in multis nummis Ephesiorum, ad librum quemdam confugit, in quo nummi aliqui Ephesiorum collecti sunt, ut Dianam alii cuipiam simili numini junctam inveniret. Verba haec pag. 162. legit: ΕΦΕCΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ: Antonini Pii cum Dianae, ac forte Proserpinae effigie. *Hic equidem nummus est, quem ille tametsi vitiosum sequutus est, ut in papyro nummum hunc Antonini, qui ita nunquam se habuit, describeret. Hinc factum, ut* ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ *in exergo posuerit, quod usui, regulisque omnibus adversatur. Verbum enim* ΟΜΟΝΟΙΑ *in aere semper aut primum, aut postremum esse debet: quod hic minime observatur, nisi epigraphen ab exergo velimus incipere, hoc est, ubi eamdem desinere, oporteret.*

Ait praeterea, falsarium, qui in reliquis D. Vaillantium sequutum se esse, profitetur, sumere ex eodem potuisse pag. 42. *nummum ejusdem Antonini, in quo inscriptio meliorem in ordinem disposita est:* ΕΦΕCΙΩΝ ΝΕΩΚΟΩΡΝ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Hic nummus*, inquit, *est apud D. Fucoltium, ac verbum* ΟΜΟΝΟΙΑ *situm est in exergo. Falsarius tamen uti hoc nummo non poterat, quum in eo juxta Dianam sit Hercules clavam & leonis exuvias gestans, uti contra in nummo Anniae Faustinae Bacchus sit hedera coronatus, hastam, & tygridis pellem gerens, ut in sua Dissertatione animandvertit P. Chamillardus.* Alia hanc in rem addit de Cyzicenorum & Raphaneotarum numinibus.

Potuerat etiam, pergit, *ex libro D. Vaillantii pag. sequ. nummum maximi moduli laudare, qui exstat in museo M. D. Etruriae cum hac inscriptione priori ferme simili:* ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΕΦΕCΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ. *At Symbola non consentiebant, quum numen, quod est juxta Dianam, non nisi, ut refert ipse D. Vaillantius, seminudum*

N *sit,*

sit, hoc est, ut videtur valde verisimile, Jupiter pallio, quod ei partem pectoris, & brachii operiat, ornatus, ut visitur in nummo ex magno aere ejusdem Imperatoris, qui est apud D. Fucoltium cum epigraphe: ΕΦΕϹΟϹ ΚΥΖΙΚΟϹ, *& in exergo* ΟΜΟΝΟΙΑ. *Ut autem suaderetur, aversam partem hujus nummi Anniae Faustinae ex alio nummo desumtam fuisse, aliquid iisdem numinibus omnino simile inveniendum erat, quod utique reperire falsarius non potuit. Est ergo,* concludit, *aversa ipsa pars nummi max. mod. Anniae Faustinae, quae translata in assertum nummum primi mod. Antonini Pii, qui non exstat nisi in papyro, purumque illius commentum est. Ad P. Valsechium, qui nummum imprimi curavit, spectat, hominem adigere, ut sibi museum, unde nummum Antonini Pii desumsit, patefaciat, probaque in medium afferre testimonia, nisi velit, a veteratore isto deceptus fuisse, credatur.*

Quaecumque hanc in rem dici a me jure optimo possent, praetermitto: neque enim, quam hactenus animi moderationem sectatus sum, in praesens negligam. Nummus, de quo agimus, Antonini Pii, non in solo papyro exstat, neque purum putum falsarii, commentum est, adeo ut, ad eum confingendum, opus ei fuerit, ad librum, in quo nummi aliquot Ephesiorum congesti, ut ait ille se detexisse, confugere, aut aversam partem nummi Anniae Faustinae P. Camillardi in eumdem nummum transferre. Ectypus, quem ego dedi, ex nummo, qui re vera exstat in museo M. D. Etruriae, exactissime descriptus est. In catalogo nummorum eximii ejus musei, quem adornavit Petrus Fictonius V. Cl. anno 1660. quique M. S. in eodem museo adservatur, idem ipse nummus recensetur. Ejus epigraphen legit idem Fictonius hoc modo: ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΕΦΕϹΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, quamvis ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ.

in

in ima parte nummi, seu exergo, scalptum sit. Hic ille idem est, quem laudat Vaillantius, legitque modo jam recitato, licet figuram, quae est juxta Dianam, ob palliolum, quod humerum & brachium sinistrum tegit, vocet seminudam, ac nummum illum litera *M.* maximi esse moduli indicet, quum tamen primae tantum sit magnitudinis; deest illi namque sexta pars ad pondus unciae, locumque non in ipso modo museo inter nummos primi moduli hodie obtinet, sed & in laudato Catalogo Petri Fictonii, quinquaginta ante atque amplius annos conscripto. Porro Falsarius modulum plumbeum, sive ex nummo hoc, sive ex alio simili ductum, habebat, quem etiam, quum una cum modulo Anniae Faustinae, de quo supra, ad formam maximi moduli, deletis quae in eo erat literis, redegisset, literas, quae in nummo nunc sunt in eo efformavit, ac tandem nummum confecit. Proba nummi ejusdem Antonini Pii afferantur testimonia, jubet P. H. Ea in fine hujus capitis afferam, simulque proba afferam testimonia, licet haec minime is postulet, nummum P. Chamillardi una cum aliis duobus conflatum fuisse, quorum alterum nupertime vidi ego cum aliis probatissimis viris; ac Virum demum à quo ejusdem nummi P. Chamillardi historiam accepi, omni fide dignum esse. Si autem scire interea cupiat P. H., quam ob caussam museum in quo nummum, cujus ectypum dedi, conspexeram, in priori Dissertatione non indicarim, una haec fuit, ut si quispiam, eum nummum re vera exstare, quod reapse contigit, forte negavisset, ejus potuissem incredulitatem revincere:

Suam criticen prosequitur P. H. *Liber*, inquit, *D. Vaillantii, ut falsarius ipse profitetur, fons est, unde verba omnia inscriptionis, quae in aversa parte nummi Anniae Faustinae legitur, is sumsit. At non ait, Disserta-*

tationem ipsam P.Chamillardi fuisse, quae hunc ei librum, ac pene omnia, quae a falsario hic afferuntur, indicavit: quasi vero ipse P.Chamillardus primus omnium librum D.Vaillantii viderit, primus legerit, primus laudaverit. *Primum,* ΕΠΙ ΣΤΡ. ΚΥΡΙΝΟΥ subjicit,*ait ille ex Smyrnaeorum nummo Elagabalo cuso apud Vaillantium desumtum est. Verbum* ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ *ex alio, eodem loco, & sub eodem Imperatore acceptum, & Epocha demum* ΑΟC. *ex alio ibidem, ubi non nisi* OC. *visitur, cui falsarius* Α., *sine ulla fraude adjecit. Hinc probe apparet,* addit, *assertum falsarium non nisi secundam editionem Vaillantii vidisse, si enim priorem vidisset in qua pag.* 132. *in eo nummo legitur* ΔOC. *dicturus fuisset, se non nisi* Δ. *in* Α. *mutavisse.* Certe Falsarius quum de nummo conficiendo agebat, solam habebat secundam editionem Vaillantii nimirum Amstelaedamensem, quam eidem V. Cl. Sebastianus Bianchi musei Medicei Custos peritissimus commodaverat. Ceterum male hariolatur P. H., quum putat, falsarium, si priorem editionem vidisset, in qua legitur ΔOC, dicturum fuisse, se Δ. in Α. mutavisse: nam cum aeque nnmmi exergon occupasset ΔOC ac ΑΟC, ipsum etiam Δ sine ulla mutatione sumsisset; ac tum profecto Annia ejus Aurelia Faustina soror Severi Alexandri esse debuisset, quum is annus fuisset aerae Caesarianae 274. qui coepit mense Septembri anni Ch. 225., qui quartus fuit Severi Alexandri.

Postremo, quod ad me adtinet, ita criticen suam absolvit P. H. *Fateor me non satis posse admirari credulitatem P. Valsechii, qui modulos quoque plumbeos vidisse, affirmare, ausus, est, qui huic nummo Anniae Faustinae conficiendo adhibiti.* Quae de mea P. H. credulitate, potiori ipse jure de ejus incredulitate usurpare possem: sed flocci haec nos facimus. *Probe apparet,* sub-

ſubjicit, *Patrem hunc arti falſorum numiſmatum conficiendum nil prorſus vacare: moduli hi namque, quos A. Brum. vidit, plumbei, nummum, de quo eſt quaeſtio, magis, verum germanumque eſſe, oſtendunt, quum modulus plumbeus non niſi ex vero nummo tanquam ex archetypo confici queat. Cuſus nummus, qualis ſine ulla controverſia hic noſter eſt, fuſus nummus non eſt: ac ſi P. Valſechius, quid cuſum inter fuſumque nummum interſit, ignorat, danda illi venia, ſi callido ab homine decipi, paſſus eſt. Forma, qua nummus hic cuderetur, opus erat. Haec autem ubinam eſt? Si adhuc exſtat, cur moduli plumbei confecti? Si non exſtat, quid de ea actum?*

Neque modo excandeſcam: ſingula patienter feram, ſingula tamen, pacato ſedatoque animo, retundam. Recte ait P. H., me arti falſorum numiſmatum conficiendorum haud vacare, ſed ſummopere fallitur, quum modulos, aut typos plumbeos, quos ego vidi, nummum P. Chamillardi verum eſſe, magis oſtendere, affirmat. Jam dixi, duos modulos plumbeos falſarium habuiſſe, alterum ex vero nummo primae magnitudinis Anniae Fauſtinae tanquam ex archetypo expreſſum, alterum ex vero nummo Antonini Pii, de quo ſupra, primae item magnitudinis. Ex iis, abraſis prius, quae exſtabant literis, alios modulos maximae formae eduxit, ac quum in his, in antica nimirum Anniae Fauſtinae, & in poſtica Antonini Pii, quas libuerat pro ſua peritia literas inſcripſiſſet, nummum tandem confecit. Priores modulos non vidi, vidi poſteriores. Priores ex veris nummis ducti fuerant, poſteriores falſo nummo conficiendo adhibiti, quos proinde *typos* vocavi, ſeu formas, quibus terrae ſtapedibus (ſic vocant fuſores aereas regulas, quibus metallo fundendo utuntur: ſunt enim inſtar ſtapedum) incluſae impreſſis, nummus deinde conflatus eſt.

Haec

Haec etiam absurda putabit P. H., fierique non posse inquiet, ut ex modulis primae magnitudinis moduli maximae formae exprimantur, atque ex duobus diversisque modulis unus nummus eliciatur. Ergo artem hanc, etsi eidem minime incumbam, cogor, edocere. Modulis primae magnitudinis circulus, abrasis, quae in iis extant literis, ex materia quapiam solida, puta cera, circumducatur, ita ut ex ejus circuli accessione ad formam maximi moduli, redigantur. Hi terrae imprimantur, plumbum defundatur, ac moduli plumbei prodibunt forma nummi maximi moduli. In his quos lubet characteres, omnemque nummorum ornatum ferreis instrumentis, qui Italice *Ceselli* vocantur, si arte praestas, effingito. Terrae eos etiam, utrumque intra stapedem, unum hinc, inde alium imprime, sed cura, ut rite sibi ac prorsus exacte respondeant. Plumbum iterum defunde, ac nummum plumbeum erues ex duobus illis diversisque typis expressum. In hoc nummo literas, capillos, extrema figurarum lineamenta, ac quaevis alia, si opus est, stylo leviter refrica. Terrae eumdem imprimito: aes consla: ac nummus aeneus emerget maximi moduli, qualis nummus P. Chamillardi, qui sic adamussim confectus est.

At nummus P. Cammillardi, clamat P. H., *sine ulla controversia cusus, non fusus est, ac P. Valsechio, qui cusi ab fuso nummo discrimen ignorat, plane ignoscendum, si callido ab homine deceptus est. Forma opus erat, qua nummus percuteretur. Haec autem quo evasit?* Frustra quaerit P. H. formam, seu ἀρχέτυπον σφραγιστήριον, quo nummus signatus, percussus: hic enim, velit, nolit, ex aere conflato effectus est, licet quid cusum inter & fusum nummum intersit, ego, ut ille ait, ignorem. Ita sane: nummus Anniae Aureliae Faustinae P. Chamillardi, non cusus sed fusus est. Nam ut ipse P. H.

po-

postea animadvertit, D. Massonium carpens, quem viso nummo, licet adulterinum, percussum eum tamen, ait, pronunciasse, *verisimile non est, in Italia, aut alibi viginti, aut viginti qinque aureos expendere quempiam voluisse pro forma habenda, qua unus tantum nummus* (duos alios addo ego) *cuderetur*, quamvis ut satis notum, aliis temporibus Patavinus, Cavinus, Vallis ex nostratibus, & ex Gallis Cocornerius aliique orbem suis hoc genus mercibus locupletaverint. Fateor, non tanti constitit falsario nostro nummus P. Chamillardi: sed paucos carbones tantummodo, parum plumbi atque aeris, paucasque operae, laborisve horas insumsit. Probane optat vel hujus rei testimonia P. H.? Haec etiam una cum aliis, quae supra polliciti sumus, in fine hujus capitis dabimus.

At qui fieri potest, reponet P. H., ut vera isthaec sint, quum *quotquot Parisiis nummum inspexerunt e pulchrioribus ejus aevi, ac rarioribus maximi moduli nummis eum esse, judicarint, nullum, quacumque spectetur parte, in eo esse vitium, quaecunque desiderari possint antiquitatis, & sinceritatis indicia in eo reperiri, nullum denique sincerum nummum fore, si falsus hic sit?* Non opus est, ut tot ille, ac tam illustria recitet testimonia. Insignis quidem e nostris Italis antiquarius, nemini profecto recentia a veteribus distinguendi peritia secundus, solet dicere, nummis, qui a suspecta manu proficiscuntur, observandis bina perspicillorum paria se adhibere, at pro nummis ejus, qui nummum P. Chamillardi confecit, examinandis, tria tibi esse paria sumenda: simulque profitetur, aliquot ex ejus rebus pro veteribus se fuisse non semel accepturum, nisi ille, ab se factas fuisse, monuisset. Praeterea observet, velim, P. H., ejusdemne ingenii sint literae a falsario inscriptae, quamvis antiquorum characterum specimen

men non indiligenter imitari studuerit, ac figurae numismatis ex veris nummis expressae? An caput & figurae nummo primi moduli magis conveniant, quam maximi moduli? Demum nihilne inter caput, & figuras aversae partis interfit? an istae sui aeui nitorem, ac probum Asiaticorum opificium arguant, illud vero imperii lapsum, atque ictus Romanos praeseferat? Haec pro eximia, qua pollet, sagacitate, ac solertia singulari, contempletur P. H. ac suam dein ingenue sententiam ferat.

His vero satis a me factum puto non modo P. Harduino, sed & ipsarum Ephemeridum Trevoltianarum Scriptoribus, qui tomo mensis Junii anni 1713. artic. LXXXIV. in priori mea recensenda Dissertatione nonnulla pariter in typos plumbeos, quos ego vidisse affirmaveram, adnotarunt. *Adjicit ille*, haec eorum verba ejus tomi pag. 1000., *se plumbeos typos vidisse, qui nummo conficiendo adhibiti fuere. Nimium est quod affirmat, ac postremus hic articulus posset ejus narrationem aliquanto suspectam eruditis reddere. Typi plumbei* (vertunt *coins de plomb*) *nummis percutiendis idonei non sunt. Non ergo typi* (*coins*) *sunt, sed moduli plumbei* (*moules de plomb*) *quos ipse intelligit. Atqui moduli ut fiant, verus nummus exstiterit, necesse est, uti exstet sigillum, oportet, antequam aliis conflandis adhibeatur. Dicet forte P. Valsechius, modulos hos ex pluribus veris nummis factos fuisse, ita ut unus caput, aversam partem alius, alii epigraphen suppeditaverint. Verum responsio haec auget magis, quam tollat difficultatem. Aversa pars nummi P. Camillardi sumta est, si fides P. Valsechio adhibenda, quinque ex nummis, atque una etiam litera adjecta est. Ad eum ergo pertinet, artem monetarios docere, quinque modulos in uno quopiam jungendi, atque aliquid etiam in eodem modulo jam con-*

fe-

fecto adjiciendi. Typi ſane plumbei, de quibus loquutus ego fueram, non formae, ut Viri Cll. animadvertunt, fuere, quibus nummus percuſſus, ſed moduli potius plumbei: quos typos ideo vocavi, quod illis ceu ſigillis terrae impreſſis prior nummus formatus eſt; cujus generis modulos Italice *matrici* appellamus. Hi ex aliis modulis, qui ex veris nummis expreſſi fuerant, ea, qua ſupra explicavimus, ratione profecti. Ac licet averſa pars nummi P. Chamillardi quinque e nummis deſumta ſit, unus tamen nummus Antonini Pii modulum ejuſdem averſae partis dederat, quum epigraphen ex aliis nummis, una etiam addita litera, acceptam ferreis ſuis inſtrumentis ſuaque induſtria artifex formaverit.

Ceterum Cll. iiſdem Viris plurimum debeo, quod licet non exigui momenti in typos meos plumbeos difficultatem propoſuerint, magna tamen, in ea proponenda, moderatione uſi ſunt, verbiſque ſat caſtigatis. Plurimum etiam voluptatis cepiſſe, fateor, quum traditam a me annorum Elagabali numerandorum rationem *quammaxime ſimplicem, ac naturalem* iis pag. 994. dictam perlegi, eamdemque pag. 1001. *non uti felicem modo conjecturam, ſed tanquam veriſimiliorem opinionem*, probaſſe illos ipſos comperi.

Ecce vero poſtremum, quae ſupra Patri H. promiſimus, teſtimonia: pauca illa quidem, ſed graviſſima, probatiſſimaque.

Florentiae die IV. *Julii* 1614.

Nos infraſcripti teſtamur, exſtare in Muſeo R. C. Magni Ducis Etruriae nummum primi moduli Antonini Pii, eumdem prorſus, quem exhibet P. Valſechius in Diſ-

 ſert.

sert. De M. Aur. Ant. Elagabali Trib. Pot. V. pag. 75. *in cujus nimirum priori parte visitur caput Antonini Pii laureatum cum epigraphe*: ΤΙ. ΑΙ. ΑΔΡΙ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC: *in posteriori vero Diana Ephesia, & alia figura nuda, quam virilem censemus, stans, dextra hastam, sinistro brachio palliolum ab humero pendens sustinet, cum epigraphe*: ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΕΦΕCΙΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, *ita ut verbum* ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ *in ima parte nummi, seu exergo scalptum sit.*

Praeterea testamur, vidisse nos nummum maximi moduli Anniae Faustinae, ei itidem similem, quem affert idem Valsecbius laudatae Dissert. pag. 68. *cum eo tamen levi discrimine, quod in hujus, quem nos vidimus, anticae partis epigraphe praeter verba* ΑΝΝΙΑ ΑΥΡΗΛΙΑ ΦΑΥCΤΕΙΝΑ, *quae in nummo a Valsecbio exhibito leguntur, additur* CEB.

Testamur denique, a Viro fide omni digno certiores nos factos fuisse, postremum nummum Anniae Faustinae non multos abhinc annos ab ingenioso quodam antiquitatum studioso, ea, qua ab eodem Valsecbio fusius nunc traditur, ratione, una cum aliis duobus, ex aere fuso conflatum fuisse: atque horum alterum in R. P. Chamillardi, quum anno 1705. *hac transiit, manus devenisse. Ita vero.*

Antonius Maria Salvinius literarum Graecarum in Florentino Athenaeo Professor, testor quod supra dictum est, verum esse, atque ita se habere.

Josephus Averanius in Pisana Academia Juris Civilis Professor Ordinarius, quum nummos modo descriptos diligenter inspexerim, & alterum cum altero accurate comparaverim, & intentissima cura omnia consideraverim, & Virum summa auctoritate, religione, fide, & veterum numismatum peritia praeclarum, de adulteri-

no-

norum nummorum conflatura minutatim interrogaverim testantem ea sibi fuisse, & esse cognitissima: quae hic narrantur, verissima esse omnia constanter affirmo. Ego mea manu scripsi: ego testor, fidemque meam obstringo.

Josephus Averanius.

Sebastianus Bianchi Regiae Celsit. M. E. D. Numismatum Custos manu propria scribit, ut omnibus Antiquitatis cultoribus notum faciat, Nummum Antonini Pii, de quo supra, exstitisse a longo tempore, & adhuc exstare in Museo Mediceo, probum, legitimum, & absque ulla suspicionis nota, eumdemque invenio descriptum a Petro Fiston V. Cl. in veteri Catalogo nummorum hujus Pinacothecae, quas explanabat anno 1660. *Nummum vero Anniae Faustinae ego ipse scio conflatum fuiße una cum aliis duobus decem plus minus ab hinc annis, quum viderim tunc temporis plumbeos typos, supra quos Caelator pro lubitu suo disposuit, quod congruum existimavit, & librum Joannis Vaillant de nummis Graecis editionis Amstelaedamensis ipsi commodaverim, ex quo desumsit quae sors obtulit, ad nummum conficiendum, numerum literarum suam regulam faciens: nunc vero unum ex his tribus nummis una cum Salvinio, & Averanio viris doctissimis, & probatissimis contrectavi, nec aliud additum inveni, quam colorem adulterinum, viridem & nigrum, vulgo dictum* Patina, *antiquo valde similem.*

Sebastianus Bianchi.

CAPUT XI.

Cl. Vignolii argumentum ex Inſcriptione ſtatuae ab Elagabalo Serapidi dedicatae. Eadem ſtatua ab Elagabalo fieri juſſa, ac Alexandri tempore ſolenni ritu dedicata. Statuae, ſigna, ac quaecumque Inſcriptiones non ſtatim ac perfectae erant, a Sacerdotibus dedicabantur. In ea Inſcriptione aliquid Sculptoris incuria, aut imperitia omiſſum. Viri eruditi de eadem Inſcriptione ſententia.

JAm vero ad Cl: Vignolium, ejuſque argumenta, quibus ſuam, de temporis necis Elagabali, & initio Severi Alexandri, ſententiam confirmare nititur, redeamus. Idibus Aprilibus anni Ch. 222. Elagabalum ſuperſtitem adhuc fuiſſe, demonſtrat pag. 70., & ſeqq. ex antiquae baſis Inſcriptione, quae apud Gruterum pag. LXXXV. 5., & ante ipſum apud Panvin. lib. 2. Faſt. pag. 369. ita ſe habet.

SERAPI. SACR

IMP. CAES. M. AVREL

ANTONINVS AVG

PIVS. FELIX. COS. IIII

P. P.

A ter-

A tergo.

DEDIC. ID
APR. IMP
CAES. ANT
PIO IIII. ET
M. AVR. ALE
XANDRO.
COS.

Lapidem hunc nos quoque prioris Differt. pag. 6. attuleramus: diximusque pag. 30., eumdem aut ante Elagabali necem, quo omnia pro templi dedicatione Idibus Aprilibus peragenda, si ad templi quidem dedicationis memoriam is positus sit, parata forent, insculptum fuisse, aut, quod fortasse verisimilius, id templum ab Elagabalo antea exstructum, Idibus tandem Aprilis illius anni sub successore Alexandro fuisse dedicatum. Haec autem minime probat Cl. Vignolius. Nam praeterquam quod, ait pag. 73. & 74. non videtur, quae rei necessitas esset, ut unum, vel duos menses ante de inscriptione dedicationis cogitarent, quam ejusdem dedicationis dies haberetur; neque illud, quod ibi sacrum dicatumque Serapidi dicitur, templum fuisse videtur; sed statua potius, vel simulacrum, aut signum aliquod ei basi superimpositum, quod tanto proinde apparatu haud egeret. Non repugno, id signum, aut statuam quampiam fuisse: sed neque repugnare crediderim aliqua nonnumquam fieri etiam citra necessitatem. Sed esto, ad necessitatis praescripta exigi omnia debuerint. Si quod Serapidi sacrum

ibi

ibi dicitur, signum sit, aut simulacrum, profecto non video, cur fieri illud quidem ab Elagabalo, dedicari vero ab Alexandro non potuerit: quum certum sit, ejusmodi simulacra, vel signa, aut quascumque Inscriptiones non statim ac absolutae, perfectaeque erant, nominibusque eorum, qui fieri illas jusserant, inscriptae, solenni ab Sacerdotibus ritu fuisse dedicatas. Apud Panvinium lib. 2. Fast. pag. 381., & Gruter. pag. CCLXXVI. 4. exstat inscriptio Aureliani sub finem anni Ch. 274., quum scilicet Trib. Pot. V. sed nondum Consulatum ordinarium III. iniisset, insculpta, sed dedicata Calendis Februariis anni 275. ipso *Aureliano Aug. III. & Marcellino Coss.* Apud Sponium in Misc. erud. antiqu. pag. 247. & seqq. visitur Ara a Centurionibus & militibus Antonino Caracallae anno 205., quum esset Trib. Pot. VIII. Cos. II. dicata, ac dedicata anno 208. ipsomet *Antonino III. COS.*

Aliam ejusdem Caracallae inscriptionem habemus apud eumdem Sponium pag. 271., & apud Fabrettum pag. 682. 70. quae sculpta sub ejus imperii initium videtur, dedicata vero indubie est anno proxime ejus mortem praecedente, nimirum Ch. 216.

IMP. CAES. M. AVRELIO . AN
TONINO . PIO . FELICI . AVG
PRINCIPI . IVVENTVTIS . &c.

Latere sinistro.

DEDIC. XVIII. KAL.
SEPTEM. A.
C. ATIO . SABINO . ET . CORNE
LIO . ANVLINO . COS

C

C. Atius Sabinus, & Cornelius Anulinus fuerunt Consules anni Ch. 216. Antoninus vero Caracalla *PRINCEPS IVVENTVTIS*, uti in praecipua epigrammatis parte inscribitur, dici haud potuit nisi primis imperii ejus annis, quum is nimirum titulus, qui puris ceteroqui Caesaribus tribuebatur, illi, etsi Augustus, ut ibidem pariter inscribitur, declaratus esset, manere, utpote admodum juveni, ac vivente adhuc Severo ejus patre, non inmerito poterat.

His addi potest Inscriptio altera, quae est apud Panvinium lib. 2. Fast. pag. 356., ex qua apparet signum aliquod, aut aliud quodpiam pro salute Severi, Caracallae, & Juliae Severi uxoris, consecratum fuisse antequam idem Caracalla Augustus declaratus fuisset, quod certe contigit anno Ch. 198., dedicatum autem die x. Aprilis anni 200. Ea enim ita se habet.

PRO . SALVTE . IMP. CAES
L. SEPTIMI . SEVERI . AVG
ET . M. AVRELI . ANTONINI
AVG. F. CLARISS. ET . IVLIAE
AVG. MATRIS . CAESARIS
M. FIRMIDIVS . SPECTATVS
TR. LEG. II. ITAL. P. F
CONSECRAVIT . ITEM
DEDICAVIT . IIII. ID. APRIL
SEVERO . ET . VICTORINO . COS

Si

Si ergo hae Inſcriptiones, ac ſigna non ſtatim ac perfecta, ac conſecrata erant, dedicabantur, cur & quod Serapidi dicatum ab Elagabalo fuerat, ſignum non potuit poſt ipſius interitum ab Alexandro, qui & *Iſium*, *&* *Serapium*, ut narrat Lampridius in ejus vita cap. 26., *decenter ornavit, additis ſignis, & deliacis, & omnibus myſticis*, aut ab aliis gregariis Sacerdotibus dedicari?

Opponi his quidem poteſt, quod ſi imperante Alexandro ea dedicatio peracta eſſet, idem Alexander in illa Inſcriptione *Imp.* *&* *Aug.* inſcribi debuiſſet, quum id moris eſſet, ut qui anni initio Conſulatum ſuſceperant, ac per annum poſtea Auguſti creabantur, in Inſcriptionibus, Actiſque publicis novae dignitatis nomine honeſtarentur, ut recte demonſtrat Pagius ad ann. Ch. 136. num. v., exemplo M. Aurelii, & L. Veri, quamvis in Diſsert. Hypat cap. 6. num. x. contrarium docuiſſet. At fatendum, ea in Inſcriptione aliquid Sculptoris incuria, aut imperitia omiſſum fuiſſe: nam etiamſi in vivis tum adhuc Elagabalus fuiſſet, Alexander certe Caeſar erat, eoque titulo de more pariter inſigniri debuiſſet, qui tamen praetermittitur.

Illud etiam non parum negotii faceſſit, quod ſi ſtatua illa, aut ſignum poſt mortem Elagabali dedicatum fuiſſet, ac in ejus dedicationis memoriam ſculpta illa Inſcriptio, nomen Elagabali, quod Senatus auctoritate ex annalibus eraſum fuerat, ac in ſignandis ejus anni legibus Alexander, ut ſupra pag. 19., omiſit, adponi nequaquam debuiſſet. Verum, quod mihi de Elagabali nomine, id de nomine Alexandri ipſi Cl. Vignolio objici poteſt. Si enim ſtatuam illam dedicaſſet Elagabalus, eamque Inſcriptionem fieri juſſiſſet, paſſus certe non fuiſſet, ut ibidem adſcriberetur col-

lega

lega in Consulatu Alexander, cum quo noluit in Consulari pompa procedere, cujus statuarum titulos luto inquinari & obliterari jussit, ac cui denique palam insidias struxit. Hinc Viro eruditissimo, qui haec mecum per literas communicavit, visum, Inscriptionem illam, aut non modo post Elagabali, sed & post Alexandri caedem ab Sacerdotibus ad servandam rei gestae memoriam esse factam, & publice positam: aut perperam a Panvinio descriptam, vel suppletam: aut denique supposititiam esse, quum incredibile quoque videatur, ut Elagabalus, qui insane adeo patrium suum Numen colebat, tantumque ceterorum Deorum spretum adfectabat, ut *alios* Dei sui *cubicularios*, *alios servos*, *alios diversarum rerum ministros*, ut auctor est Lampridius, appellaret, statuam, vel signum quodpiam Serapidi dedicare voluisset. Sed haec minime urget Cl. Vignolius: ac quemadmodum per ipsum qui eam temporis notam adposuerunt, nullam lethalis, quo Alexandrum Elagabalus insectabatur, odii rationem habuerunt, ita per me fieri potuit, ut neque odium, quo nomen ac memoria Elagabali tum laborabat, respexerint, sed tempus absolute per anni ejus Consules, ut moris erat, designaverint.

CAPUT XII.

Cl. Vignolii argumentum ex nummis Elagabali TR. P. V. inscriptis. Pagii de his nummis conjectura refutatur. Refelluntur rationes ab Illustriss. Adriae Episcopo pro eadem Pagii conjectura tuenda allatae. Augusti, Julii Caesaris, & Justini Jun. exempla a Cl Praesule allata nullius momenti ostenduntur. Initium Justini Jun.,

& Consulatus ejus tempora praeclare ab eodem Cl. Praesule illustrata. Per eamdem Pagii, & Cl. Praesulis conjecturam satis non fit nummis Anniae Faustinae & Aquiliae Severae anno v. *imperii Elagabali inscriptis.*

QUomodocumque nobis hactenus pugnae sors cesserit, longe nunc difficilior subeunda alea est, graviusque discrimen ineundum: quum non solum cum Cl. Vignolio decertandum nobis in praesens sit, praecipuaque ejus tela retundenda, sed & cum Illustrissimo a Turre, Adriae Praesule meritissimo, quocum mihi communis caussa hucusque fuit, res gerenda. Igitur non Idibus modo Aprilibus, ut superiori capite e Serapidis lapide, sed & post diem XVI. Maji anni Ch. 222. in vivis adhuc fuisse Elagabalum, colligit Cl. Vignolius pag. 75. ex ejus nummis tum Latinis, tum Graecis, in quibus Trib. illius Pot. quinta, vel quintus imperii ejus annus exhibetur; qui iniri, ut videtur, non potuit nisi die ipsa XVI. Maji ejus anni, quum, ut docet Dio apud Xiphilinum, non nisi eadem die anni Ch. 218. Imperator a militibus acclamatus is fuisset.

Haec porro est ipsa difficultas, quam in priori Dissertatione solvendam mihi proposueram. Scilicet, quum ex tot argumentis constet, Elagabalum ad eum usque diem vitam, & imperium haud prorogasse, neque proinde Trib. Pot. quintam, aut quintum, imperii sui annum attingere potuisse, qui fieri possit ut nummi nihilominus sint, in quibus eadem Trib. Pot. quinta, ac quintus imperii ejus annus conspicitur.

Plures implicatissimi hujus nodi ab aliis praestantibus viris adhibitas solutiones, atque inter has, quae a Pagio in Crit. Baron. ad annum Ch. 218. num. x. traditur,

tur, probaturque Illustris. a Turre in Italica Epist. nummo Anniae Faustinae Venet. Ephem. tom. IV. pag. 360. inserta, eadem Dissertatione attuleram, rejeceramque; ac meam demum peculiarem explicationem subdideram. Hanc meam quidem explicationem pluribus postea adorsi sunt tum Cl. Vignolius, tum ipse Illustris. a Turre in Dissert. *De annis M. Aur. Ant. Elagabali &c.*, ille, ut Elagabalum, quae sparta ejus erat, iis nummis probaret, non mense Martio, sed aliquanto post e vivis excessisse; hic vero ut Pagianam, cui calculum olim suum adjecerat, solutionem tutaretur, vindicaretque. Antequam autem argumentis a doctissimis iisdem viris contra meam explicationem allatis satisfaciam, non abs re erit, ut quae ad Pagii defensionem ab ipso Cl. Adriae Praesule adducta sunt huc revocemus.

Pagius loco laudato quum apud Vaillantium duos nummos Elagabali vidisset alium inscriptum: *P. M. TR. P. III. COS. III. P. P.*, in quo *quadrigae aurigante Imperatore*, alium vero *P. M. TR. P. V. COS IIII.* in quo *Imperator in quadrigis dextra ramum sinistra Scipionem eburneum*, censuit cum eodem Vaillantio eos ad Processus Consulares ejusdem Elagabali pertinere, ac priorem quidem ad processum Consulatus III. quem ille iniit Cal. Jan. an. Ch. 220. alterum autem ad processum Consulatus IV., quem iniit Cal. Jan. anni 222. Hinc vero intulit, Elagabalum Cal. Jan. anni 220. Trib. Pot. III., & Cal. Jan. an. 222. Trib. Pot. V. numerasse, atque ita imperii sui, ac Trib. Pot. initium a Cal. Jan. anni 218., quamvis mense tantummodo Junio ejusdem anni, rerum summa potitus fuisset, *per anticipationem* deduxisse: citatque ad anticipationem hanc adstruendam Dionem pag. 907. quem tradere ait, Elagabalum *per antecessum* Augusti, &

Caesaris nomen cum imperio Proconsulari, ac Tribunitia potestate sumsisse; ac postremo addit, eumdem, Elagabalum Macrini nomen e Fastis eradi jussisse, quia persuasum omnibus voluerat, se jam a Cal. Jan. Imperatorem legitimum fuisse, & Consulatum ad se non vero ad Macrinum pertinuisse.

Hanc Pagii opinionem refutaturus primum ostenderam, quod quamvis duo illi nummi ad Processus Consulares Elagabali referendi essent, prior nempe ad Processum Consulatus III. ab eo initi Cal. Jan. anni Ch. 220., alterum ad Processum Consulatus IV. initi Cal. Jan. anni 222., non inde tamen inferri possit illum Cal. Jan. anni 220. Tribunitiam Pot. III., & Cal. Jan. anni 222. Tribunitiam Pot. V. numerasse, quum non semel tantum Calendis ipsis Jan., quibus Magistratus insignia capiebat, ludos edituri procederent Consules, sed pluries etiam per annum. Sic enim & Gordianum seniorem, ex Capitolino in ejus vita cap. 3. cum Emin. Norisio Dissert. de numism. Dioclet. & Maximiam pag. 20., observaveram tempore aedilitatis suae duodecies per singulos nimirum menses ludos exhibiturum processisse; ac Novellam cv. Justiniani laudaveram, qua numerus Processuum Consularium, quos antea multo plures fuisse necesse est, ad septem redactus fuit. Ut pluries ergo per annum procedebant Consules, ita nummi, qui ad ejusmodi Processus spectabant, necesse non esse concluseram, ut Cal. Jan., quibus Consulatus sumebatur, ac prior quidem Processus peragebatur, cusi fuissent. Deinde vero Dionem ostendi nullo modo Pagianae illi anticipationi favere: nam licet loco a Pagio laudato scribat, quod Elagabalus *in epistola, quam ad Senatum, & scripto quod ad populum misit, & Imperatorem, & Caesarem se, filiumque Antonini, Severi nepotem, Pium,* Fe-

Felicem, *Augustum*, *Proconsulem*, *Tribunitiae Potestatis* προλαμβάνων αὐτὰ inscripsisset, attamen horum verborum προλαμβάνων αὐτὰ non eum esse sensum dixi, quod ea nomina *per anticipationem*, seu *per antecessum*, ut contendit Pagius, sumserit, sed quod iisdem sese inscripserit, priusquam sibi illa a Senatu decreta fuissent.

Illustrissimus a Turre caussam Pagii acturus laudatae Dissert. cap. v. pag. 71., non abnuit, necesse non esse, ut nummi ad Processus Consulares spectantes sub anni initium percussi fuerint; quamvis rationem, quam ad numerum plurium Processum Consularium probandum e Gordiano seniori, qui tempore aedilitatis suae duodecies processerat, una cum Norisio attuleram, minime probet; quod nimirum Aedilis non idemmet esset, ac Consul. Fateor equidem non eumdem Aedilem fuisse, atque Consulem: neque Norisium mente, aut oculis adeo aberrasse putaverim, ut unum cum altero confuderit: sed argumentum illud a pari, ut ajunt, aut simili petitur, ita nempe, ut quemadmodum pluries per annum Aedilitatis suae tempore Gordianus ludos, muneraque populo daturus processerat, sic pluries per annum Consulatus sui tempore ludos pariter populo exhibituri Consules procederent. Consentit tamen Praesul doctissimus, necesse esse, ut nummi ejusmodi sub anni initium cusi fuerint: sed quaerit undenam ego sciverim, nummos Elagabali, de quibus est quaestio, non etiam pertinere posse ad Processus Cal. Jan. ab illo actos; quasi vero ut adducto a me argumento sua vis constet, illud me scire oporteret. Pro certo illud habeo, scioque, ubi ad Processus per annum factos nummi illi pertinere possint, nunquam recte illatum iri, ut infert Pagius, sub anni initium, quamvis tum etiam, ac solenniori

for-

fortassis pompa Processus fieret, cusos fuisse. Addit, Mediobarbum sex nummos Elagabali cum quadrigis ad tertium ipsius Consulatum spectantes referre, unumque ad Consulatum quartum pertinentem Vaillantium referre: aitque, prodigio propius fore, si omnes hi nummi ad minores processus per annum actos spectarent, & non eorum saltem aliquis ad solenniorem Cal. Jan. initum. In primis inter sex eos nummos cum quadrigis, quos refert Mediobarbus, unus proculdubio est, qui nullo modo ad Processus Consulares Elagabali referri debet, quum quadrigae in illo sint, in quibus *conica saxi figura, seu Deus Elagabalus*. Deinde inter eosdem sex nummos duo sunt, qui nullam notam numeralem Tribunitiae Pot. praeseferunt, unde hi aeque referri possunt ad processum Kal. Jan. actum, ac ad alios actos per annum. Demum etsi nullus eorum ad Processum Cal. Jan. actum referri possit: si prodigio propius est, quod nullus eorum nummorum, qui occasione Processuum primo anni die initorum cusi fuere, ad nos, aut ad Mediobarbi & Vaillantii notitiam pervenerit, verum illud prodigium erit, quod nullus eorum nummorum, qui ad Processus Consulatus secundi Alexandri, ut alia exempla mittam, pertinent, a Mediobarbo visus sit, unusque dumtaxat a Vaillantio recitetur, atque hic non ad primi anni diei Processum, sed ad aliorum aliquem, qui per annum fiebant, referatur, quum inscriptus sit *TR. P. V. COS. II.* Tres etiam tantum Alexandri nummos cum quadrigis, quae ad Processus Consulatus ejus tertii referri possunt, recitat idem Mediobarbus, quorum duos, certum est, spectare non potuisse ad Processum Cal. Jan. actum, quum epigraphen ferant: *TR. P. VIII. COS. III.*, alter vero, incertum est, ad quem Processum pertinuerit, quum nullam Trib. Pot. exhi-

exhibeat, sed tantum inscriptus sit *INVICTVS . AVGVSTVS . COS. III.*, imo vero neque videtur ad Processum aliquem Consularem pertinuisse.

Pergit Vir Illustriss. Inter nummos, ait pag. 72., Processus Elagabali praeferentes unus est apud Vaillantium de Nummis aur. & arg. cum hac inscriptione: *P. M. TR. P. V. COS. IIII.* Cernitur Imperator in quadrigis dextra ramum, sinistra scipionem eburneum gestans. Dixerat Pagius, ex eodem nummo constare Elagabalum primo die anni Ch. 222. annum imperii quintum numerasse, quia percussus fuit in Processu ejus Consulari acto ipsis Cal. Jan. ejusdem anni. Hoc ego negaveram prioris Diss. pag. 55., dixeramque Processum eo nummo expressum celebrari per annum potuisse, quum plures per annum Processus a Consulibus fierent. Ut gratam mihi rem faciat, concedit Processum hunc Consularem in nummo signatum non fuisse actum die ipsa prima Jan. ejusdem anni 222., quum ex Lampridio in ejus vita cap. 15. *Cal. Januariis quum simul*, Elagabalus, & Alexander, *tum designati essent Consules noluit ipse Elagabalus cum Consobrino procedere*. Sed statim contra me argumentum pag. 73. resumit. Si Elagabalus, inquit, Cal. ipsis Jan. non processit, certe aliquo quocumque die, ante tamen initium mensis Martii, quo etiam per me, ac quidem die decima, e vivis sublatus est, Processum quarti sui Consulatus, decurrente Trib. Pot. V. in nummo notata, celebravit. Ergo ante hanc diem Elagabalus numerabat Trib. Pot. V. Hoc confirmari addit ab alio nummo, a Mediobarbo sub eadem Trib. Pot. V. recensito, in quo visitur *figura stans dextra tesseram, sinistra cornucopiae*, cum epigraphe: *LIBERALITAS AVG. VI.*, quam Liberalitatem, seu Congiarium distribuisse, ait, Imperatorem in ipso Processu,

de

de quo loquimur, ante initium Martii, labente Trib Pot. V. Quod si ante mensem Martium, subjicit, anni Ch. 222. decurrebat Trib. Pot. V. Elagabali, prima certe ejus Trib. Pot. necessario coepta erat ante exordium Martii anni 218., & antequam ipse die XVI. Maji acclamatus Imperator ab exercitu fuisset, vel initio Junii post praelium cum Macrino omnem potentiam fuisset adeptus. Non potest autem, concludit, id Tribunitiae Potestatis, & imperii Elagabali primordium alio die consignari, quam Calendis Jan. ejusdem anni 218., quum initium, quod ego jam adsignaveram, pridem deploratum, & conclamatum appellet. Igitur Cal. Jan. anni 218. idem est adscribendum, per anticipationem tamen, quum per id temporis nondum ille imperium accepisset.

Recte equidem ratiocinatur Praesul doctissimus, sed non ita implicatissimus, de quo est quaestio, nodus dissolvitur, aut difficultati, quae sententiae mortem Elagabali mense Martio statuenti ex iis nummis opponitur, satis fit. Si rem ita velit dirimere, neque opus est, ut ad eum Processum Consularem Elagabali, aut ad ejusdem Congiarium in nummo a Mediobarbo laudato repraesentatum confugiat, quasi idem Processus, aut Congiarium peculiare argumentum suppetat, ad sententiam Pagii probandam, quum ex quibusvis nummis Elagabali *TR. POT. V.* inscriptis, sic eadem institui possit ratiocinatio. Elagabalus die x. Martii anni Ch. 222. occisus est: ergo nummi illi ante eum diem cusi sunt: ergo ante eum diem iniit Elagabalus Trib. Potestatem quintam &c. Qui vero eorum nummorum auctoritate adducti mortem Elagabali contendunt non mense Martio, sed multo post contigisse, ita contra ratiocinantur. Elagabalus Tribunitiam Potestatem V. iniit: ut ex iis nummis constat. Hanc

inire

inire non potuisset, si occisus esset mense Martio an. 222. Non ergo mense Martio occisus est. Ac licet eo loco Pr. Cl. argumentum illud non contra eos, qui negant Elagabalum mense Martio decessisse, sed contra me urgeat, qui quum eam sententiam probassem, Pagii solutionem, ejusque argumentum praecipuum impugnabam, nihilominus Pagium ego impugnans, eorum, ut semper similibus in rebus fit, personam veluti gerebam, qui nummorum difficultate acti eo mense mortem Elagabali contigisse negabant; adeoque unum cum altero miscendum non erat, neque ullum ex mea sententia, de tempore necis Elagabali, pro conclamato jam Pagii argumento praesidium erat accersendum.

Non negaverim tamen, ea Praesulis Cl. ratiocinatione, sive ex Processu Consulari, sive ex ceteris nummis ducatur, probe concludi, ubi certum, ratumque sit, uti certum ceteroqui, ratumque existimo, Elagabalum mense Martio anni 222. e vivis excessisse, ut iis nummis Tribunitia Pot. V. signatis occurratur, alio a tempore, quam a die XVI. Maji anni Ch. 218., ejus imperii, ac Trib. Pot. exordium desumendum esse, multumque pro altero hoc initio figendo conjecturis esse tribuendum. Ceterum num deploratum re vera, ut illud vocat, conclamatumque sit initium, quod ego statueram, alio loco videbimus, ubi comparationem etiam inter utrumque initium, Pagianum scilicet ac meum instituemus.

Sed rationem demum prodit Vir Illustriss. pag. 74. & sequ., quare conjicere liceat, Elagabalum, qui die dumtaxat XVI. Maji anni Ch. 218. acclamatus Imperator fuerat, ac mense tantum Junio Macrino acie victo rerum omnium potitus est, imperii sui nihilominus initium a Cal. Jan. ejusdem anni per anticipationem computare, voluisse. Annum, inquit Ch. 218. Con-

ſules aperuerant Opilius Macrinus Auguſtus & Adventus, ut obſervavit Cardinalis Noriſius in Epiſtola Conſulari pag. 131. ubi etiam animadvertit, Elagabalum poſt mortem Macrini inter alia, quae teſte Dione lib. 79. innovavit, ſibi ipſius Macrini Conſulatum adſcripſiſſe. *Conſulatus*, ait Dio, *Macrini loco, qui jam geſtus erat, nomen ſuum ſubſtituit, quum nec Conſulatum a nobis accepiſſet, nec eum prorſus attigiſſet*. Addit Dio, Elagabalum occiſo Macrino tribus literis nomen prioris ejus anni Conſulis Macrini hoſtis ſui execratum collegae tantum Adventi nomen adpoſuiſſe, & poſtea ſuummet nomen Macrini loco ante Adventum ſubſtituiſſe. Itaque Elagabalus, ſubjicit, non ſolum Macrini nomen e Faſtis expunxit, ſed etiam ſuummet ejus loco ſubſtituit, & faſtos ejus anni nominis ſui nota ſignari voluit, tanquam ſi a Cal. Jan. Conſulatum accepiſſet. Ex his vero infert, quod quemadmodum Elagabalus Conſulatum Macrini invaſerat, & initia anni, quae eidem debebantur, per anticipationem ſibi vindicaverat, ita conjici poſſit, illum ab eodem tempore, nimirum a Cal. Jan. anni 218., depulſo veluti Macrino, & ſimili anticipatione inducta, exordia ſui Principatus repetiiſſe, ut unum idemque Conſulatus & Imperii principium eſſet.

Duo hic affert Praeſul Cl., rationem nimirum, cur conjicere liceat, Elagabalum a Calend. Jan. anni Ch. 218. imperii ſui initium per anticipationem repetiiſſe, & finem, ob quem inde illud repetere voluerit. Ratio, omni aequivocatione ſublata, huc redit. Elagabalus Conſulatum, quem Macrinus Cal. Jan. anni 218. inierat, ſibi adſcripſit: ergo ab iiſdem Cal. ſui quoque imperii initium repetiit. Haecne proba illatio? Certe etſi verum ſit, eum Macrini Conſulatum ſibi a dictis Calendis per anticipationem vindicaſſe, hoc tamen non alia de cauſſa factum, quam quia idem Conſulatus utpote ordina-

dinarius de more iisdem Calendis incoeperat. Sed quid haec cum imperii etiam anticipatione? Quod vero ad finem, quem fuisse ait, *ut unum idemque Consulatus & Imperii principium esset:* profecto non video, qua ratione sibi finem hunc praestituere Elagabalus potuerit, quum nullum inde bonum, aut commodum obventurum ei fuisset. Quod Consulatum Macrini invaserit, sibique illum a Calendis Jan., tanquam si eo tempore eumdem iniisset, adjudicaverit, non multum mirandum videtur, quum peculiaris honos is esset, ac per totum annum Consulum ipsorum nominibus quaecumque acta publica signarentur. At quid prodesse ei poterat ea imperii quoque anticipatio, vel Consulatus & Imperii initiorum conjunctio?

Confirmat deinde eamdem conjecturam pag. 76. ex eo, quod in omnibus nummis Elagabali, ut videre est apud Mediobarbum, numerus annorum Trib. Pot. concurrit cum numero Consulatuum; neque unquam in uno anno, seu eodem Consulatu duplex Trib. Pot. observatur. Sic omnes nummi anni 219. signantur: *TR. P. II. COS. II.*, anni 220. *TR. P. III. COS. III.*, & demum anni 222. *TR. P. V. COS. IIII.*, quia anno antecedente Consulatum non gesserat. Quod argumento, inquit est, ipsis Cal. Jan. quotannis susceptam, auctamque fuisse Trib. Pot., ac utriusque dignitatis numeros toto anni decursu pari passu processisse. Verum haec quoque argumentatio, ex nummis qui ad nostri notitiam venere petita, multum dubio fallacique principio innititur. Sic enim ex. gr. quamvis Alexander mense Martio anni 222. imperium suscepisset, ac sint apud Mediobarbum ejus nummi anni 226., quo Consulatum II. iniit, partim *TR. POT. IIII. COS. II.*, ac partim *TR. POT. V. COS. II.* signati; nummi tamen anni 228., quo Consu-

ſulatum III. geſſit, apud eumdem Mediob. ſignati omnes ſunt *TR. P. VIII. COS III.* Idem cernere eſt in Severo, qui Idibus Aprilibus anni Ch. 193. ſalutatus fuit Imperator, annoque inſequenti 194. Conſulatum II. ſuſcepit, & anno 202. Conſulatum III. Ejus namque nummi Trib. Pot. inſigniti anni 194., uno aut altero excepto, qui Tribunitiam Pot. ſine numero praefert (quod certe in aliquibus etiam nummis Elagabali anni 219. obſervatur) notati ſunt *TR. P. II. COS. II.*, & nummi anni 202. ex iis quidem qui Trib. Pot. pariter inſigniti ſunt, omnes nemine excepto inſcripti ſunt *TR. P. X. COS. III.*

Eidem conjecturae unum quidem nummum, qui exſtat apud Angelonium, adverſari fatetur pag. 77., quum Congiarium ille Elagabali praeferat cum epigraphe: *P. M. TR. P. II. COS. III. LIBERAL. AVG.*, ſed ſcrupulum hunc a me jam exemtum fuiſſe, ait, quum eoſdem numerales characteres utrique noſtrum adverſantes aliter legendos eſſe prioris Diſsert. pag. 112. demonſtraverim.

Verum enimvero quum, poſtquam ea Praeſul Illuſtriſs. ſcripſerat, in lucem prodierit Cl. Vignolii Diſſertatio, in qua inter alia nummum illi ipſi Angelonii plane ſimilem dedit, ac praeterea Canonis S. Hippolyti inſcriptionem, quae ad Dionis ſententiam, de tempore imperii Elagabali, ſtabiliendam plurimum facit, ac de qua nos quoque ſupra cap. 11. egimus, peculiari ratione interpretabatur: hinc toto cap. VI. multa praeclaraque eruditione ei Viri Cl. interpretationi refutandae incumbit, nummoque illi quoquo modo ſatisfacere adniſus eſt.

Abſoluto capite VI. ad me, atque ad ſuperius propoſitam conjecturam fulciendam iterum redit. In Italica Epiſtola de nummo Anniae Fauſtinae ad eamdem

im-

imperii Elagabali anticipationem, de qua supra, probandam, tria exempla, Augusti nimirum, Julii Caesaris, & Justini Junioris adduxerat. Etsi enim Octavius Caesar, ajebat, die tantum XVII. mensis Januarii appellatus Augustus fuisset, attamen anni Augustales, seu Epochae Augustorum, Censorino de die natali cap. 21. teste, non eo ab die numerari coepti sunt, sed a Calendis praecedentibus: & quamvis Julius Caesar sub initium autumni Pompejum devicisset, quo jacta fuere Monarchiae fundamenta, anni nihilominus imperii, seu Aerae Caesarianae nonnisi a Cal. Jan. anni insequentis computabantur; ac demum licet Justinus Junior medio mense Novembri imperium iniisset, a Cal. tamen dumtaxat Januariis anni insequentis illud numeravit.

Tribus hisce exemplis aliqua ego in priori Dissert. opposueram. Ac ad prius quod adtinet, longe diversam esse rationem dixeram pag. 62. cur annorum Augustalium primordium, atque initium imperii Elagabali a Cal. Jan. peti debuerint. Nam etsi Octavius Caesar Augusti titulo ornatus non fuisset nisi die XVII. Jan., attamen Romani, ut novae ejus praeclaraeque epochae initium celebri quopiam die figeretur, Cal. Jan., quibus anni eorum civiles auspicabantur, illud consignarunt. Contra vero Elagabalus, quum mense Junio, post quinque scilicet a Cal Jan. exactos menses, summa rerum potitus esset, nullam adesse rationem dixeram, cur ab ipsis Cal. Jan. annos suos exordiri voluisset. Ad haec respondet pag. 105., se quoque in Monum. Vet. Antii pag. 116. id de epochae Augustanae initio docuisse, sed ait, Augustum quidem decreto Senatus imperii Augustei annos ad Cal. Jan. retraxisse, *ut anno civili eos aptaret*, Elagabalum vero idem egisse, *ut Consulatus, & Imperii initia per vim,*

vim, & nefas conjungeret. At quorsum, nunc ego rogo, haec Consulatus & Imperii initiorum conjunctio? Quem sibi finem hac in re praestituere Elagabalus poterat, adeo ut, quo illum adsequeretur, nefas illud perpetrare, eamque vim adhibere non sit veritus? Quod Consulatum a Macrino Cal. Jan. jam initum usurpare, sibique per anticipationum adserere voluerit, non multum, ut supra etiam diximus, mirandum videtur: peculiaris enim is honos erat, ac per totum annum Consulum ipsorum nominibus publica acta signabantur. Qui autem in eum honos, aut quod commodum, ex ea imperii etiam anticipatione, aut Consulatus & Imperii initiorum conjunctione manare poterat? Fateor equidem, novum non esse, quemadmodum singulari eruditione pag. 106. demonstrat, egregia facta in exemplum deterrimae imitationis fuisse accepta, at semper id certe factum, ubi commodum aliquod aut emolumentum sperari, aut percipi poterat.

Ad alterum exemplum dixeram pag. 63. quod quamvis Julius Caesar sub initium autumni Pompejum debellasset, non ab eo tamen tempore anni Aerae Caesarianae deinceps numerati fuere, sed a Cal. Jan. anni insequentis, quia iisdem Calendis ipse Julius Caesar Dictaturam annuam iniit, & Consul solus processit: quo rationem & jus Monarchiae, & legitimi principatus stetisse, ipsemet Vir Illustriss. in Monum. Vet. Antii affirmaverat. His eodem modo, ac supra, respondet, nimirum quod *licet factum hoc sit diversa ratione, ac fecit Elagabalus, attamen factum ita fuit*. Sed qua ratione, iterum quaero, ut ut diversa, id egit Elagabalus? Non alia, quam ut Consulatus & Imperii initia conjungeret; quae ex modo dictis prorsus nulla.

Quod ad exemplum tandem Justini Junioris, quem me-

medio Novembri imperio potitum, sed nonnisi a Cal. Jan. anni pariter insequentis tempus suum dixerat numerasse; quum ex monumentis, quae attulerat Pagius tum in Dissert. Hypat. part. 3. cap. 3. tum in Crit. Baron. ad annum Ch. 567. num. 1. certum videretur, Justinum Consulatum non suscepisse nisi memorato anno 567., eumdem Cl. Praesulem conjeceram in ea fuisse opinione, quae doctissimorum aliorum Virorum, ut Labbaei, & Cointii fuerat, quod Justinus medio Novembri anni 566. Justiniano successisset, atque ita annos sui imperii a proximis Cal. Jan. anni 567. numerasset. Hac ego conjectura adductus, neque enim ipse, vel in Italica Epistola, vel in Monum. Vet. Antii annum, quo Justinus imperium, aut Consulatum iniisse censebat, notaverat, dixeram, utrumque, tam nempe quod Justinianus anno 566. Justiniano successisset, tam quod annos suos a proximis Cal. Jan. anni insequentis 567. numerasset, erroris revinci ex cujusdam Boëtii Epitaphio, in quo *Octavo Kalendas Novembris* cum Indictione XI. annus XII. imperii Justini copulabatur. Inde enim apparebat die XXV. Octobris anni 577., quo mense Septembri Indictio XI. coeperat, in cursu fuisse annum XII. imperii Justini: atque adeo ejusdem imperii exordium conferri non posse in mensem Novembrem anni 566., multoque minus in Calendas Januarias anni 567., sed anno potius 565. esse consignandum. Verum his tanta eruditionis doctrinaeque cum saecularis, tum ecclesiasticae copia Praesul disertissimus respondit, tantaque in luce initium ipsum Justini, & Consulatus ejus tempora, quae sane implicatissima erant, ac pene innumeris difficultatibus involuta, collocavit, ut praeclarius quidquam hac in re imposterum desiderari vix queat. Quod sane non solum

lum non dissimulandum hoc loco censui, sed & quammaxime mihi ipsi gratulandum esse, arbitratus sum, quod leviusculis meis difficultatibus ansam doctissimo Viro praebuerim, ea de re tam erudite, ac copiose disserendi.

Ceterum, quod ad praecipuum concertationis nostrae argumentum pertinet, ut ut Justinus quamquam medio mensem Novembri principatum adeptus, a Calendis tantum Januariis anni insequentis principatus ejusdem initia putaverit, nullum hinc tamen ad Pagianam, de qua agimus, conjecturam fulciendam, duci posse praesidium, existimamus. Id enim ideo egit Justinus, quia Calendis ipsis Januariis Consulatum, qui jam abrogatus videbatur (post Basilii namque Junioris Consulatum per viginti quinque annos Consulibus in Oriente caruerant) ingenti populorum laetitia, & gratulatione restituit: quo factum, quemadmodum tradit Corippus lib. 6. de ipsius Justini laudibus, ut nova antiqui fasti saecula tum rediisse, primumque Augusti Caesaris aevum renovatum fuisse crederetur. Sic enim quum iisdem Calendis Consul processisset, ac sellam triumphalem trabea succinctus conscendisset, eum Sanatus primum adoravit, atque hunc dein in modum adloquutus est:

Consule te felix, te principe floreat orbis:
Salve Augustorum numeri non ordine prime
Sed meriti, largitor opum, largitor bonorum,
Libertatis apex, mundi caput, unica virtus,
Et rerum manifesta salus, reparator opimi
Nominis. Antiqui redeunt nova saecula fasti,
Augusti primum renovasti Caesaris aevum:
Clarius est, meliusque tuum: tua gaudia tecum,
Hinc vester primus feliciter excipit annus,
Votaque plura tuis celebret nova Roma triumphis.

Ela-

Elagabalus autem neque Consulatum restituit, neque illum ipsum, qui Macrini fuerat, quemque per vim & nefas, ut ait Praesul Cl., sibi adrogavit, Dione teste, prorsus attigit. Neque juvat, ut hic quoque Pr. Cl. ingeminet, quod licet a Justino id factum sit *diversa ratione, ac fecit Elagabalus, attamen factum ita fuit*: nam ratio, quae affertur, cur id fecerit Elagabalus, nimirum ut *Consulatus, & Imperii initia* tantummodo *conjungeret*, sicuti nullius peculiaris honoris nulliusque utilitatis, ita nullius, ut supra dixi, momenti esse evincitur.

Contra eamdem Pagii conjecturam objeceram pag. 60. nummos Anniae Faustinae tertiae Elagabali uxoris, & Aquiliae Severae, secundae quidem ejus uxoris, sed ad quam dimissam, post ipsam Anniam Faustinam, ac post alias itidem duas, tandem rediit L. E. *anno* v. imperii illius notatos, quos nec per eam satis bene explicari tum diximus. Si enim Calendis dumtaxat Jan. anni Ch. 222. quintum annum imperii iniit Elagabalus, ac sub initium mensis Martii ejusdem anni exstinctus sit, breve nimium spatium videtur, ut intra illud Anniam Faustinam repudiare, duo alia matrimonia celebrare, ac demum ad Aquiliam Severam reverti potuerit. Sed de his cap. XIV.

CAPUT XIII.

Altera Pagii, & Cl. Praesulis conjectura puo nummis Elagabali TR. P. V. inscriptis in Addendis *proposita. Censent, Elagabalum acclamatum fuisse Imperatorem die* XVI. *Martii, non vero, ut apud Xiphilinum, die* XVI. *Maji. Quae ab acclamatione Elagabali ad diem, qua pugnatum cum Macrino, gesta, recte fieri potuerunt intra diem* XVI. *Maji, & diem* VII. *Junii. Scriptores Graeci, qui Elagabalo quatuor annos imperii tribuunt, hos non numerant ab ejus acclamatione, sed a morte Macrini. Nicephorus Callistus, qui Macrinum neque ad annum regnasse scribit, non favet eidem Cl. Praesulis conjecturae. Alio loco Nicephorus unum annum imperii tribuit Macrino. Per eamdem Pr. Cl. conjecturam nullo modo explicari possunt nummi Anniae Faustinae & Aquiliae Severae anno* V. *imperii Elagabali obsignati.*

PAgius in Crit. Bar. ad annum Ch. 218. num. V. antequam nummos Elagabali ad Processus ejus Consulares spectantes vidisset, ex quibus ut superiori capite exposuimus, conjecit Elagabalum annos sui imperii a Cal. Jan. anni 218. deduxisse, aliam rationem, ad nummos illius *TR. P. V.* inscriptos cum Dione conciliandos, tradiderat. Scilicet textum Xiphilini, in quo Elagabalus *die sexta decima Maji* anni Ch. 218. acclamatus a Militibus Imperator dicebatur, corrigendum esse putaverat, legendumque eo loco dixerat *die sextadecima Martii*. Sic enim Elagabalus, qui die sexta Martii, (haec enim ejus sententia) anni 222. exstinctus fuerat licet quintum annum imperii non inchoasset, illum saltem proxime attigisset, atque ita nummi illi in Romanis pro-

provinciis cudi potuissent, antequam nuncius necis ejus ad eas pervenisset. Ejus autem emendationis hanc ille rationem attulerat, quod ea, quae ab Historicis a die qua acclamatus Elagabalus fuerat usqne ad diem tertiam Junii, qua, ut ipse statuerat, Macrinum acie vicerat, gesta narrantur, dierum tantum octodecim spatio confici minime potuissent. Opinionem hanc, quam vel ipsemet Pagius ultro num. x. deseruerat, non multi in priori Dissert. ego feceram, id unum adnotasse contentus, Xiphilini textum, quo Elagabalus *die sexta decima Maji* acclamatus Imperator tradebatur, haud videri solicitandum, quum ea, quae ab illa die ad tempus, quo cum Macrino pugnatum, acta ab Historicis narrantur, confici re vera potuissent: quum praesertim ipse Xiphilinus eumdem Elagabalum tanta celeritate adversus Macrinum profectum fuisse testaretur, ut *difficile Macrinus in vico quodam Antiochenorum, a quo centum octoginta stadiis distabat urbs, cum eo confixerit*.

Illustrissimus tamen a Turre cap. v. pag. 67. antequam ad alteram Pagii conjecturam, de qua cap. superiori, vindicandam accederet, hanc etiam recensuerat, dixeratque, argumentum illud Pagii, quod ea omnia, quae Xiphilinus acta narrat ab exercitus acclamatione ad praelium confectum, geri nequaquam potuissent intra dies XVIII., sibi potissimum arridere: addideratque pag. 68. se ab ea Pagii opinione non ita longe suffragio suo abesse, aliquo tamen temperamento adhibito. Nam de nummis Tribunitiam Pot. effeentibus dici non posse affirmat, quod percussi fuerint in provinciis, antequam nuncius caedis Elagabali ad eas perveniret, quum illi Romae fuerint conflati. Uxorum vero nummos cum L. E. *anno quinto*, qui utique in provinciis fuerunt obsignati, ad hoc nego-

tium ait non pertinere, ut saepius monet se sancivisse. Quare nummos cum Trib. Pot.V. opinioni Pagii aptari posse docet, si percussi dicantur diebus aliquot ante ingressum anni quinti Elagabali, ut in promptu essent die ipso natali ejus. Decem enim dies inter eumdem diem natalem XVI. mensis Martii, & sextum ejusdem mensis, in quem ex sententia Pagii mors Elagabali incidit, & quinque tantum dies in sua ipsius sententia, qua die decima exstinctum illum mecum statuerat, intercedunt. Postquam autem eodem cap.V. alteram Pagii conjecturam, quam ipse in Italica Epistola sequutus fuerat, fusiusque jam ego impugnaveram, vindicare studuisset, & cap. VI. de nummo a Cl. Vignolio edito, qui conjecturae illi adversatur, late egisset, opusque jam suum tribus aliis capitibus exegisset: non omnem tandem, quae ex eodem Vignolii nummo oriebatur, difficultatem sublatam esse animadvertens, ad priorem, quam modo exposuimus Pagii opinionem in *Addendis* pag. 195. reversus est, eamdemque firmius constabilire est aggressus.

Ait itaque, in hanc sententiam, quod Elagabalus die XVI. Martii acclamatus a militibus Imperator fuerit, contendere etiam auctores Graecos, quos supra Dissert. suae pag. 45. memoraverat, qui nimirum quatuor annos imperio Elagabali adscribunt. Eos enim auctores laudata pag. dixerat; plenum hunc numerum sequutos fuisse, ne se in Dionis annis & mensibus implicarent: nunc vero non aliam ob caussam id factum fuisse tradit, quam quia initium imperii Elagabali non a die habitae cum Macrino pugnae, quemadmodum Dio, ii deduxerant, sed ab ipsis militum acclamationibus, a quibus, si factae sint die XVI. Martii anni 218. ad diem X. Martii anni 222., qua ille interfectus, quatuor anni sex tantum demtis diebus numerantur. Ad-

dit

dit vero, rem hanc luculentius ostendi a Nicephoro Callisto, qui lib. 5. cap. 17. Macrino neque integrum annum imperii adscribit. ὃς οὐδ' ἐπ' ἐνιαυτὸν διαγεγονὼς, *qui neque ad annum quum perseveraßet*. Rejicit namque Pr. Cl. versionem Langii, qui verba illa reddit: *qui nondum integro exacto anno exstinctus;* aitque, ea loquendi ratione Nicephorum tempus Macrini tradere accuratissime voluisse, atque illud non ad pugnam usque cum Elagabalo, ut Dio, computasse, sed ad acclamationem dumtaxat ipsius Elagabali, a qua pariter, si facta die XVI. Martii anni 218., ad diem XI. Aprilis an. 217. qua imperium Maximinus suscepit, numerantur menses XI. & dies V., qui est annus non integer a Nicephoro recensitus.

Si haec ita sint, ac nummi Elagabali Trib. Pot. V. inscripti hoc modo sunt explicandi, jam prodigium illud, quod mihi Dissert. suae pag. 71. objecerat, ac de quo supra pag. 118. prorsus evanuit, aut saltem non unus ego illud contigisse judicavi, sed vel ipse sciens ac volens nunc admittit. Idem dicito de iis quae habet pag. 73. necnon pag. 76 & 77., de quibus supra pag. 119., & 123. At singula etiam hujus postremae opinionis fundamenta expendamus. Prius est, quod ea, quae ab Historicis inter salutationem Elagabali & pugnam cum Macrino recensentur, intra tempus, quod a die XVI. Maji ad diem, secundum Pagium, tertiam, per me vero atque ipsum Cl. Praesulem, septimam Junii, qua ea pugna commissa est, interjicitur, confici minime potuerint. Ut rite judicium hac de re ferri possit, necesse est, ut ea, quae tum gesta fuere, hic perstringamus. Herodianus lib. 5. cap. 3. & 4. sic rem narrat. Exercitus, qui castra prope Emesam occupabat, Elagabalum Imperatorem declarat. Haec nunciantur Macrino Antiochiae, qui rem totam quasi puerilem contemnens Julianum cum aliquot copiis mittit. Hic ut eo pervenit, milites moeni-

nibus inclusi puerum infesto exercitui ostentantes hunc Antonini esse filium vociferabantur, ac sacculos nummorum plenos attollebant. Illi Antonini vere esse filium credentes, Juliano caput amputarunt, eoque ad Macrinum misso, reseratis portis in castra accipiuntur. Macrinus his auditis cum omnes exercitu ad castra illa oppugnanda contendit. Antoninus autem, seu Elagabalus militibus oppugnationem haud exspectantibus, sed congredi audentibus copias omnes educit. Concurrerunt autem inter se uterque exercitus in Phoeniciae & Syriae finibus, acriusque dimicante Antonini milite, Macrinus stante adhuc acie fugam iniit. Haec profecto nescio cur intra dies XXIII., aut juxta Pagii sententiam, intra dies XVIII. perfici commode non potuerint: quum ex Itinerario Antonini Antiochia Emesam per Apameam iter esset M. P. CXXXIII. Sed Xiphilinus multo brevius id factum refert. Siquidem quum acclamatum Elagabalum tradidisset, ac Macrinum narrasset ea de re ad Senatum scripsisse, ferme statim, contra hunc tanta celeritate ipsum Elagabalum pofectum fuisse subjicit, ut difficile Macrinus in vico quodam Antiochenorum, qui centum & octoginta stadiis ab urbe distabat, cum eo confixerit. Aliquanto vero prolixius, atque hunc in modum idem facinus describitur in quodam fragmento Dionis pag. 902. & 903. Quum a Syriacis militibus acclamatus fuisset Elagabalus, Macrinus ad eos mittit Julianum, qui illo ipso die, quo eo pervenit, munitionem castrorum capere potuisset, non tamen id facere voluit, sive quod ab hac irruptione sibi metueret, sive quod speraret, eos, qui in castris erant, ultro fore se dedituros. Sed hi noctu portas omnes obstruxerunt, & Avitum, seu Elagabalum, supra munitionem efferentes, & imagines quasdam Caracalli pue-

pueri huic ſimiles oſtendentes re vera filium ejus, & imperii ſucceſſorem adſerebant. Tum milites, qui cum Juliano venerant, Praefectos ſibi praeter Julianum, qui quodam in loco ſeſe abdiderat, occiderunt, & arma Pſeudoantonino tradiderunt. Julianum etiam poſtea inventum obtruncarunt. Interea Macrinus Apameam ad milites Albinios venerat, quo caput etiam Juliani ad eum perlatum eſt. Re omni intellecta Macrinus Antiochiam feſtinanter rediit: ac milites tum Albinii, ceterique, qui iis in locis verſabantur, ab eo defecerunt. His narratis ſubjicit Dio: *Quapropter jam cum alii fiebant apparatus utrimque, tum in provincias, & ad legiones nuncii literaeque mittebantur: unde multipliciter omnes ad primam utriuſque de alio miſſionem, & ad continuos ac diverſos inter ſe nuncios perturbati fuerunt. Hinc factum, ut complures, qui literas perferebant utrimque trucidati ſint &c.* Ut autem finis huic Dionis narrationi imponatur, transferenda huc ſunt, quae ex eodem Dione habet Xiphilinus, quaeque in laudato fragmento deſiderantur, nimirum, quod *contra hunc* (Macrinum) *tanta celeritate Pſeudoantoninus profectus eſt, ut difficile Macrinus in vico quodam Antiochenorum, qui centum & octoginta ſtadiis ab urbe diſtabat, cùm eo confixerit.*

Pagius ad dictum annum Ch. 218. poſtquam haec ex Dione num. VIII. & IX. recitaſſet, ipſoque num. IX. leviter adnotaſſet, *apparatus*, qui utrimque facti narrantur, fieri coeptos, *poſtquam Apamea Macrinus ſeceſſerat*, infert, *longum temporis intervallum inter necem Juliani & praelium, in quo Macrinus interiit,* intercedere debuiſſe. Verum ut falſo eos factos apparatus poſt Macrini Apamea diſceſſum ſtatuit, ita perperam ob eoſdem inter necem Juliani & commiſſum praelium longum temporis ſpatium requirit. Dio

enim

enim, etsi post mortem Juliani, & reditum Macrini Antiochiam, ipsos apparatus, ac missos utrimque nuncios, & literas recenseat, non ita tamen ea recenset, quasi tum primum fieri coepta sint, sed ut quae utrimque jam fiebant. Καὶ οἱ μὲν, inquit, τάτε ἄλλα ἀντιπαρεσκευάζοντο, καὶ ἀντέπεμπον ἐς τὰ ἔθνη, καὶ ἐς τὰ στρατόπεδα ἀγγέλους καὶ γράμματα. *Quapropter jam cum alii fiebant apparatus, tum in provincias & ad legiones nuncii literaeque mittebantur.* Quae magis ad verbum; *Et hi quidem alia contra parabant, & contra mittebant in populos & in legiones nuncios & literas.* Multum autem verisimile videtur, apparatus ejusmodi fieri quidem ab Elagabalo coeptos statim ac acclamatus fuit Imperator, a Macrino vero, ubi primum illi eaedem acclamationes, ac tumultus innotuerunt. Neque enim refert, Macrinum initio rem totam quasi puerilem, ut habet Herodianus, contemsisse: nam post Juliani discessum, Apameam, ut prodit Dio, is etiam venit milites, qui illic agebant, populumque sibi muneribus conciliaturus; quod argumento est, eum jam sibi metuere coepisse, ac quam poterat opem, subsidiaque sibi comparare studuisse.

Sola itaque hac in re locorum distantia spectanda est, ratioque itinerum: quae haec fuere. I. E castris, quae prope Emesam erant, nuncius Antiochiam Macrino allatus est, quod Elagabalus acclamatus fuisset Imperator. II. Antiochia Emesam Julianus, & Apameam Macrinus contendunt. III. Emesa Apameam caput Juliani affertur Macrino. IV. Macrinus Antiochiam redit. V. denique Elagabalus cum exercitu contra Macrinum proficiscitur, quem, quum sibi occurrentem procul Antiochia centum & octoginta stadiis invenisset, praelio vicit. Quum iter Emesa Antiochiam per Apameam ex Itinerario Antonini, ut su-

ut supra diximus, essent M. P. CXXXIII., nullus dubito, quin commode duorum dierum spatio a nuncio, qui acclamationes Elagabali Macrino attulit, confici potuisset. Inter hos autem duos dies numerari potest ipse dies XVI. Maji, quum *prima luce* ejus diei eae acclamationes habitae fuerint. Quoniam vero iter militare, ut docet ipse Praesul Ill. pag. 6., erat viginti milliarium, & quum celeriter, ut in re nostra, abeundum erat, quinque & viginti: hinc Juliano, quum Antiochia Emesam cum aliquot copiis profectus est, sex dies tribuimus. Quo tempore Julianus Emesam pervenit, Macrinum quoque Apameam venisse non incredibile. Iter Emesa Apameam erant M. P. LXIII., quare miles, qui caput Juliani Macrino pertulit, spatio unius diei facile perficere illud potuit, quibus & diem alium addimus, quo forte Julianus, antequam necaretur, latuerat. Post acceptum caput Juliani Apamea Antiochiam festinanter Macrinus rediit: est iter M. P. LXX., unde non plus quam duo dies ei concedendi. Demum Elagabalus contra Macrinum profectus est: quod iter quoque aggredi potuit, quum Macrinus Apamea discessit; atque ita tres alii tantummodo dies ab ejusdem Macrini in Antiochiam reditu ad diem pugnae intercedere potuere. Hi autem omnino sunt dies XV. Quanto autem magis fieri haec potuerunt intra dies XVIII. juxta Pagii sententiam, per me vero, atque ipsum etiam Cl. Praesulem, intra dies XXIII., quot re ipsa a die XVI. Maji [hac tamen etiam, ut supra diximus, computata] ad diem VII. Junii, qua pugna cum Macrino inita, numerantur?

Alterum Cl. Praesulis fundamentum est, quod Scriptores Graeci, qui quatuor annos imperio Elagabali tribuunt, hos non a die pugnae, sed a militum acclamationibus computarint. Eorum Scriptorum catalogum texuerat pag. 45. & sequ., atque hos esse di-

xerat Eusebium in Hist. Eccl. & in Chron., Epiphanium de pond. & mens., Auctorem Chron. Alex., Georgium Syncellum, S. Nicephorum CP., Nicephorum Callistum, Fastos Heraclianos apud Dodwell. in Append. ad Dissert. Cyprian. pag. 31., Auctorem Canonis Imperatorum apud eundem pag. 25., alterum Canonem apud Scalig. de Emend. temp. pag. 743., & Catalogum Imperatorum apud Sylburgium in fine Romanae Hist. Scriptorum Graecorum minorum. De Fastis Heraclianis, ceterisque Imperatorum Catalogis, seu Canonibus, quos postremo memorat, ne levissimum quidem dubium esse potest, quin in iis tempus imperii Elagabali per annos plenos, seu solidos, numeretur, quum haec sit, in aliorum etiam Principum annis recensendis, eorum Canonum methodus. Quod ad alios vero Scriptores, certum quoque est, Eusebium, qui eorum primus, ac praecipuus, tempus illud ab iis acclamationibus minime numerasse, quum tempus, quod tribuit Macrino, non ad easdem acclamationes, sed ad ejus usque interitum expresse computet. Ἀλλὰ γὰρ, ait Euseb. Hist. Eccl. lib. 4. cap. 21., Ἀντωνίνου ἔτη βασιλεύσαντα ἑπτὰ, καὶ μῆνας ἕξ Μακρῖνος διαδέχεται. τούτου δ' ἐπ' ἐνιαυτὸν ΔΙΑΓΕΝΟΜΕΝΟΥ, αὖθις ἕτερος Ἀντωνῖνος τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν παραλαμβάνει. *Ceterum Antonino, quum per annos septem sexque admodum menses imperavisset, successit Macrinus. Qui quum usque ad anni unius spatium vitam simul atque imperium protraxisset, alius denuo Antoninus Principatum Romanum accepit*. Hanc forte Valesii versionem minime probabit Pr. Cl., quod verba illa τούτου δ' ἐπ' ἐνιαυτὸν ΔΙΑΓΕΝΟΜΕΝΟΥ, reddiderit: *qui quum usque ad anni unius spatium vitam simul & imperium protraxisset*, sicuti versionem quoque Langii rejecit, quod verba Nicephori Callisti ὃς οὐδ' ἐπ' ἐνιαυτὸν διαγεγονὼς vertisset: *qui nondum integro exacto exstinctus*. At videat, ut eodem

dem cap. idem Eusebius eodem verbo διαγενομένου usus est, quo vitae tempus, quod in imperio Elagabalus exegit, significaret. Αὐτοκράτωρ, inquit, Ἀλέξανδρος ἐπὶ τούτοις διαδέχεται τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν, ἐπὶ τέτταρσι μόνοις ἔτεσιν Ἀντωνίνου ΔΙΑΓΕΝΟΜΕΝΟΥ. Quae ita idem Valesius: *Alexander post haec Romanum imperium capessivit: quum Antoninus quadriennium dumtaxat regnavisset*. In eumdem sensum idem verbum usurpat lib. 3. cap. 5., ubi de tempore imperii Galbae & Othonis, & lib. 5. cap. 26. ubi de tempore Pertinacis.

Nicephorus etiam, quamvis *neque ad annum* perseverasse Macrinum scribat, id tempus ad ejus usque necem, non vero ad Elagabali dumtaxat acclamationem indubie enumerat. Etsi enim Graecum verbum διαγίνεσθαι, a quo διαγεγονὼς, & διαγενόμενος, significet *perseverare*, hoc tamen est *perseverare in vita*, quum illud Latine idem proprie sit ac *interesse*, *inter vivos agere*. Videantur exempla, quae a Lexicographis eum in sensum afferuntur: ac videatur rursus Eusebius locis supra memoratis, quibus sexcenta alia cum veterum tum recentiorum adjici facile possent. Duo tantum exempla proferam ex ipso Nicephoro, cui id Cl. Praesulis argumentum innititur. Ἀντωνῖνος δὲ υἱὸς Μάρκου, ait lib. 4. cap. 19. de fine vitae & imperii M. Aurelii, τέσσαρας μῆνας πρὸς δέκα ΔΙΑΓΕΓΟΝΩΣ τῇ βασιλείᾳ ἐνιαυτοῖς Κομόδῳ τῆς ἀρχῆς ὑπεξίσταται. Et lib. 5. cap. 25. de tempore imperii Galli: ὃς δύο ἔτη, loquitur de Decio, ἐπιβιοὺς, τοῖς περὶ Γάλλον ἔτος ἓν, καὶ μῆνας ὀκτὼ ΔΙΑΓΕΝΟΜΕΝΟΙΣ τὴν ἀρχὴν κατελελοίπανεν.

At quoniam nemo est ex vetustioribus scriptoribus, qui eumdem Macrinum *neque ad annum* in imperio, quemadmodum scribit Nicephorus, vixisse tradat, hinc quaeri merito potest, undenam hoc ipse Nicephorus acceperit. Illud autem dignum hac in re observatu

eſt, quod quamvis eo loco Nicephorus habeat, Macrinum οὐδ' ἐπ' ἐνιαυτὸν *neque ad annum* regnaſſe, alio tamen loco, nempe eodem lib. 5. cap. 25., ἐπ' ἐνιαυτὸν *ad annum* regnaſſe diſerte tradit. Ἀντωνῖνον δὲ, inquit, τοῦ Σευήρου παῖδα ἔτη ζ' βασιλεύσαντα πρὸς μησὶν ἕξ. διαδέχεται Μακρῖνος. τούτου δ' ΕΠ' ΕΝΙΑΥΤΟΝ ΔΙΑΓΕΝΟΜΕΝΟΥ, ἕτερος Ἀντωνῖνος, ὃς Γάβαλος ἐπεκλήθη,. τῶν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν παραλαμβάνει. *Antoninum vero Severi filium, poſtquam annos ſeptem & menſes ſex regnaßet, excipit Macrinus. Hic vero quum AD ANNVM VIXISSET, alius Antoninus, qui Elagabalus vocatus eſt, Romanorum imperium ſuſcepit.* Hinc aut in priori loco in textu Nicephori a librariis adjectum fuit οὐδ' *neque*, aut in poſteriori omiſſum. Ac licet ſecundum facilius contingere potuerit, primum tamen omnino contigiſſe exiſtimo. Certum enim eſt, Nicephorum in hiſtoria ſua conſcribenda a Chriſti temporibus uſque ad aevum Conſtantini M., Euſebium ut plurimum ſequutum fuiſſe, a quo eodem loco tempus quoque Antonini Caracallae accepit, quod is nempe poſt Severi obitum *annos ſeptem & menſes ſex* imperaverit; quamvis Dio tradat eum regnaſſe *annos ſex, menſes duos, & dies duos*, Xiphilinus *annos* itidem *duos, menſes duos, & dies**, & Zonaras *annos ſex cum duobus menſibus & aliquot diebus*. Porro Euſebius, ut ſupra vidimus, unum annum Macrino tribuit: qua quidem in re non ſolum Euſebium in poſteriori loco ſequutus eſt Nicephorus, ſed, quod non raro etiam alibi efficit ipſiſſima ejus verba, quae conferri invicem poſſunt, exſcripſit. Si aliquis ergo eorum locorum Nicephori vitiatus eſt, prior proculdubio, unde Ill. Praeſulis argumentum deſumtum, vitiatus eſt, non poſterior.

Accedit tandem, quod licet per eamdem conjecturam explicari quoquo modo poſſint nummi Elagabali

Trib.

Trib. Pot. V. inscripti, nullo tamen modo explicari possunt nummi Aegyptiaci Anniae Faustinae & Aquiliae Severae, quorum in fine capitis praecedentis meminimus, L. E. *anno* v. imperii ipsius Elagabali obsignati. Sed hac de re capite sequenti.

CAPUT XIV.

Nummi Anniae Faustinae L. E. *inscripti probant Elagabalum quintum annum imperii iniisse, ac post eum initum duo alia matrimonia junxiße, & ad Aquiliam Severam rediisse. Ratio annos Imperatorum in nummis signandi, Alexandrinis a Pagio & a Cl. Praesule adtributa, commentitia. Qua de caussa Ptolemaeus in Regum Canone annos a Thoth vago numeraverit. Trajani & Antonini Pii initia a Thoth vago proxime eorum inaugurationem antecedente a Ptolemaeo in libris Mag. Constr. computata. Perperam a Ptolemaeo consignatur initium Hadriani: ejusque erroris caussa detegitur. Ratio annos Imperatorum in nummis signandi, quam Aegyptiis Pagius adscripserat, non uno in loco ab eodem Pagio postea abdicata. Repudiatis Imperatorum uxoribus cusos nummos fuiße, incredibile.*

C*Orneliam Paullam*, ait Dio de Elagabalo apud Xiphilinum, *duxit in matrimonium, quo fieret pater, sicuti dicebat, celerius.. . . . Post haec repudiata Paulla, quod maculam haberet in corpore, sicuti dicebat, Aquiliam Severam duxit . . . . Neque tamen hanc diu retinuit, sed aliam post, deinde aliam, atque aliam duxit: dein iterum ad Severam rediit*. Quamvis autem tertiae Elagabali uxoris nomen ab eodem Dione non indicetur, communis tamen Antiquariorum, atque ipsius etiam Cl. Praesulis opinio

est,

est, hanc fuisse Anniam Faustinam, cujus nummi exstant apud Vaillantium in nummis Graecis L. E. *anno* v. notati: ex quibus profecto apparet, ipsum Elagabalum non modo quintum annum imperii re vera iniisse, sed & post eum initum Anniam Faustinam abdicasse, duo alia matrimonia junxisse, ac demum ad Aquiliam Severam rediisse, cujus pariter exstant nummi apud Vaillantium eodem L. E. *anno* v. inscripti.

De his quidem variis Elagabali matrimoniis late agit Praesul Cl. cap. III. pag. 27. & seqq., quae proinde ut commode, apteque collocaret, opinionem eorum amplexatus est, qui Alexandrinos docuere, annos Imperatorum non a die natali eorum imperii, ut Romanis mos erat, sed a neomenia Thoth fixi, hoc est, a die XXIX. Augusti, numerasse: ita nimirum, ut si quis ante eam diem salutatus fuisset Imperator, nummi ei cusi fuissent cum anno primo usque ad dictam diem XXIX. Augusti, exinde vero cum anno secundo. Hanc sententiam laudat Pagius in Crit. Baron. ad ann. Ch. 69. num. III., eaque ratione explicat eodem loco nummos Galbae cum L. B. *anno* II., & Hadriani cum L. K B. *anno* XXII. Nummis Galbae & Hadriani addit citato loco Praesul Cl. nummos L. Veri cum L. ΔΕΚΑΤΟΥ *anno decimo*, & Otaciliae Philippi Aug. uxoris cum L. Z. *anno* VII., ac juxta hanc doctrinam explicat etiam quod ad praesentem rem adtinet, annum V. Elagabali in nummis Anniae Faustinae & Aquiliae Severae notatum, neque non plura illa conjugia post ipsum V. annum jam initum celebrata. Quum enim sic primus annus Elagabali a die, sive qua acclamatus fuit a militibus, sive qua praelium cum Macrino commissum est, usque ad diem XXVIII. Augusti anni Ch. 218. apud Aegyptios numeratus fuisset, atque a die insequenti XXIX., qua annum ipsi Aegyptii auspicabantur, secun-

dus

dus annus processisset, quintus quoque ejus annus coepisset die XXIX. Augusti anni 221., a quo tempore, quum deinde vixisset Elagabalus usque ad mensem Martium anni 222. recte potuit intra id spatium Anniam Faustinam dimittere, duas alias uxoris sibi adsciscere, ac demum ad Aquiliam Severam redire.

Opinio haec, seu ratio, annos Imperatorum in nummis Aegyptiacis notatos computandi, mihi in praesens examinanda: videndumque, num solido quopiam fundamento, aut quapiam saltem probabili conjectura eadem fulciatur. Quum enim a Romanis, ac Graecis anni eorumdem Imperatorum a die ipsorum imperii natali, quod sane & rationi quammaxime consentaneum videtur, numerarentur, aliter ab Aegyptiis factitatum fuisse affirmari nequit, nisi simul ratio, quae probe id suadeat, afferatur.

Pagius ad dictum annum Ch. 69. num III., quum hanc sententiam, quam postea non uno in loco, ut infra dicemus, deseruit, recensuisset, sic probare eam nititur. *Id*, inquit, *confirmat Dio lib.51. pag.457., ubi ait: Diem, quo capta fuit Alexandria, festum esse censuerunt, ab eoque reliquis annis numerandis initium sumendum*. Id equidem verum; sed etiam Romani annorum suorum initium a Cal. Jan. sumebant: neque tamen inde annos Imperatorum numerabant. Syro-Graeci pariter, quamvis cum civiles, tum suarum Epocharum annos ab autumno auspicarentur, annos tamen Imperatorum a die initi imperii numerabant: quod patet de Antiochenis ex eorum nummis Tiberio percussis, quos laudat idem Pagius ad an. Ch. 14. num. IV., in quibus jungitur primus annus imperii Tiberii cum anno XLV. eorum Epochae, a pugna Actiaca, seu ab imperio Augusti in Syria deductae, & annus tertius cum anno ejusdem epochae XLVII. Epocha illa Antiochena coepit

au-

autumno anni, V. C. 723. ante Ch. 31., ut hoc ipso anno in Appar. num. CIV. statuit idem Pagius: quare annus ejusdem XLV. iniit autumno anni V. C. 767. Ch. 14. decurrente anno primo Tiberii, qui coeperat die XIX. Augusti ejusdem anni, & annus XLVII. autumno anni V. C. 769. Ch. 16. decurrente pariter anno tertio Tiberii coepto die XIX. Augusti ejusdem pariter anni. Id patet etiam de Seleuciensibus, quorum nummum Tiberio itidem percussum exhibet Em. Norisius Dissert. 3. de Epoch. Syromac. cap. 7. pag. 215., in quo annus pariter tertius imperii Tiberii cum anno LXVII. eorum Epochae, quae eadem est ac Antiochena, copulatur. Videatur eo loci Norisius, ac rursus videatur in Epochis Addendis pag. 489.

Nunquam in nummis Aegypti, subjicit Pagius, *alia epocha notata quam Regum & Imperatorum, quare ea a primo anni die exordiebatur, & quando mors Principis sub finem anni nunciabatur, statim nummi in honorem successoris cudebantur cum* L. A., *id est anno primo, & post aliquot dies novo anno Alexandrino inchoante die* XXIX. *Augusti in nummis exprimebatur annus secundus a die* XXIX. *Augusti desumtus*. Verum iterum, in nummis Aegyptiis non aliam epocham notari quam Regum & Imperatorum: sed hinc consequi prorsus negamus, quod a primo anni die ea epocha exordiretur, ac quum sub finem anni novus aliquis Princeps renunciaretur, ei nummi tum cuderentur cum L. A. *anno primo*, ac novo postea anno Alexandrino inchoante die XXIX. Augusti *annus secundus* in iis signaretur. In nummis quoque Romanorum non alia epocha notata visitur, quam Trib. Pot. Imperatorum, neque tamen haec a primo anni die auspicabatur, neque, quum per annum inauguratus aliquis Imperator fuisset, novo postea anno Cal. Jan. inchoante secundus annus ejus imperii, aut Tribunitiae

Pot.

Pot. II. in nummis exprimebatur. Exemplum deinde affert Hadriani. *Sic Trajano*, inquit, *mortuo, & Hadriano in locum ejus subrogato, ac Alexandriae agnito Imperatore initio anni* CXVIII. *nummi percussi sunt cum* L. A., *& deinde die* XXIX. *Augusti cum* L. B., *itaut ultimus hujus Imperatoris annus in nummis Aegyptiacis praeferat* L. K B. *idest annum* XXII., *quod nonnisi in nummis Alexandrinis occurrit*. Hadriano post mortem Trajani anno Ch. 117. Alexandriae nummos percussos fuisse cum L. A. concedimus: sed quod deinde die XXIX. Augusti nummi eidem cusi sint cum L. B., hoc est ipsum, quod probari oportet: neque satis ex eo probatur, quod sint nummi ejusdem Hadriani cum L. K B. *anno* XXII.: nam praeterquam quod haec pariter est ipsa difficultas, quae illi est solvenda, alio loco ipsemet Pagius, nimirum ad annum Ch. 138. num. III. alio modo, atque huic plane contrario, ut infra ostendemus, eosdem nummos Hadriani cum L. K B. explicat.

Praeterea, ait denique, *in Canone Aegyptiaco Ptolemaei anni Regum non a vero die eorum natali, sed a Thoth vago, postea pro usu civili Augusto regnante diei* XXIX. *Augusti alligato, numerantur*. At quid inde? Non alia ratione eo in Canone anni ita numerati sunt, quam, ut observat Dodwellus in Append. ad Dissert. Cypr. num. XXXIV. & seqq., quia, quum idem Canon pro usibus astronomicis concinnatus esset, ut numerandi rationem ubique certam constantemque esse oportebat, ita, ut ab uno eodemque exordio anni omnes accuratissime procederent, opus erat. Hoc autem commune omnium annorum, tam scilicet trium earum Epocharum, quae in eo Canone exhibentur, quam Regum & Imperatorum, quorum tempora ibidem consignantur, exordium duxit Ptolemaeus a neomenia Thoth vagi in quamcumque anni Iuliani

T diem

diem incidisset. Quam methodum ut in ipsis etiam Regum ac Imperatorum Romanorum annis servaret, eorum tempus per annos solidos, neglectis mensibus, ac diebus, quibus supra annum integrum iidem regnavissent, iisdemque, ubi opportunius visum, suppletis, computandum censuit. Sed quid haec cum vulgari annos Imperatorum in nummis signandi ratione?

Porro non solum in modo laudato Canone annos Imperatorum computavit Ptolomaeus a neomenia Thoth vagi, sed & computavit in libris Magnae Constructionis, tum in suis, tum in aliorum astronomicis observationibus ibidem recensendis: quo argumento utitur ipse Illustris. Praesul pag. 30., ubi certum videri affirmat, Astronomos *exordia Principum a Thoth vago eorum inaugurationem antecedente deduxisse*. Sic enim, ut verum fatear, probe intelligimus, cur idem Ptolemaeus lib. 7. cap. 3. duas referens Menelai Geometrae observationes, alteram, qua Romae animadverterat, *spicam a luna penitus opertam* fuisse *Mechir* XV. *sequente* XVI. *exacta hora* X., anno Nabonassari 845., quod tempus respondet diei X. Januarii anni Ch. 98., & alteram, qua Romae pariter visum *australe cornu lunae in recta fuisse linea ad mediam & australem illarum* stellarum, *quae in fronte scorpii sunt, centrum vero ipsius a recta linea defecisse, tantumque distitisse a media, quantum media ab australi*, die quidem *Mechir* XVIII. *sequente* XIX. *hora* XI. *desinente*, anno item Nabonassari 845., hoc est die XIII. Januarii ejusdem anni Ch. 98., has factas tradat *primo anno Trajani*, quamvis Trajanus nondum tum Nervae successisset, quum hic non obierit nisi die XXVII. ejusdem mensis Januarii an. Ch. 98. Sic etiam alias notans observationes abs se Antonini Pii tempore factas, lib. 3. cap. 2. conjungit tertium Antonini annum cum anno a morte Alexandri

463.

463. die IX. mensis Athir, qui est dies XXVI. Septembris an. Ch. 139., & lib. 9. cap. 10. secundum ejusdem Imperatoris annum confert in annum Nabonassari 886. Epiphi die II., hoc est Maji XVII. anni Ch. 139. Unde apparet, eum non computasse primum annum Antonini Pii ab anno Ch. 138., quo die XXV. Februarii adoptatus fuit ab Hadriano, ac die IX. Julii ei in imperio successit, sed ab anno praecedenti 137., nimirum a Thoth vago proxime verum ejus imperii initium antecedente, qui fuit eo anno die XX. Julii.

Gravissima tamen difficultas, ut id quoque hic observemus, reperitur in annis imperii Hadriani, cujus initium non modo non sumit Ptolemaeus a die, quo Imperator ille inauguratus fuit, verum neque a neomenia Thoth proxime ejus inaugurationem antecedente, sed multo etiam ante ipsum Thoth ejus imperium auspicatur. Quum enim Trajanus a die XXVII. Januarii anni Ch. 98., qua Nervae successit, regnasset annos XIX., menses VI., & dies XV., die demum X. Augusti anni 117. obiit: illique eadem die successit Hadrianus. Hoc itaque verum Hadriani initium: seu dies potius sequens, quo ei Trajani excessus, ut docet Spartianus in ejus vita cap. 4., nunciatus est, ac *natalem imperii statuit celebrandum*: neomenia vero vaga Thoth, proxime verum ipsum initium antecedens, erit, quae eo anno incurrit in diem XXV. mensis Julii. At Ptolemaeus non solum non computat annos Hadriani a die X., aut XI. Augusti anni 117., verum neque computat a die XXV. Julii, sed & hunc ipsum terminum antevertit. Hoc patet, ut plura alia ejus loca omittam, ex lib. 3. cap. 8., ubi aequinoctium autumnale se deprehendisse ait *in anno Hadriani* XVII., *mense Athir, secundum Aegyptios, die septima, post meridiem duabus proxime horis aequalibus*, eumque annum deinde confert

in annum Nebonassari 880., cujus dies VII. mensis Athir incidit in diem XXV. Septembris anni Ch. 132. Porro si die XXV. Septembris anni Ch. 132. numerat Ptolemaeus annum Hadriani XVII., die pariter XXV. Septembris anni Ch. 116. primum ejus annum numeraverit, necesse est: qui tamen decem menses sunt ante neomeniam Thoth vagi proxime ipsius Hardiani inaugurationem antecedentem, quae, ut diximus, fuit die XXV. Julii anni Ch. 117. Rem hanc, quam plerisque Chronologorum non mediocri molestiae fuisse, compertum est, diligentius hoc loco excutere lubet: nam palam hinc simul fiet, quam ob caussam, in annis Trajani & Antonini Pii numerandis, horum initia a Thoth vago verum natalem antecedente Ptolemaeus, ut supra vidimus, deduxerit.

Scaliger lib.15. de Emend. temp., quum unum annum imperii Domitiano auferat, contendatque hunc occisum fuisse die XVIII. Septemb. an. Ch. 95., sic quoque Trajani, Hadriani, & Antonini initia disponit, ut eorum anni a Ptolemaeo in laudatis locis notati recte omnino procedant, neque in ea hypothesi opus sit, ut eadem initia a Thoth vago verum ipsorum natalem antecedente numerentur. At extra omne dubium est, perperam Scaligerum mortem Domitiani die XVIII. Septembris anni Ch. 95. consignasse, quum in diem XVIII. Septembris anni insequentis 96. certissime sit conferenda.

Petavius vero lib. XI. de Doctr. tem. cap. 24. docet, hanc unam, certissimamque vitiosae ejus annorum Trajani, Hadriani, & Antonini Pii in libris Magnae Construct. Ptolemaei rationem esse, quod in iisdem annis notandis usus ille fuerit superius laudato Canone, in quo, quum Imperatorum tempora per annos solidos neglectis mensibus numerentur, ipsa quoque eorumdem Imperatorum initia a Cajo Caligula uno anno

dein-

deinceps, ut ait se animadvertisse, antevertuntur. Verum & rationem hanc manifeste ex ipso Ptolemaeo refellit Em. Norisius in Dissert. de Vot. decenn. pag. 119., quum observet, illum lib. 7. cap. 3. annum XII. Domitiani recte conjungere cum anno Nabonassari 840 die secunda Tybi, quae fuit dies XXIX. Novembris anni Ch. 92., quo tempore a die XIII. Septembris revera XII. Domitiani annus labebatur, quum regnare is coepisset die XIII. Septembris anni Ch. 81. Suspicatur vero ibidem Card. doctissimus, quod, quum Trajanus in imperii societatem a Nerva vocatus fuisset anno Ch. 97., ac anno insequenti 98. die 27. Januarii idem Nerva obiisset, Ptolemaeus fortasse annum primum Trajani illum putaverit, quo Imperator a Nerva dictus fuit, ac ejusdem initia retraxerit ad diem 27. Januarii anni 97. unius anni prochronismo. Verum his adhuc obstare, subdit, quod Ptolemaeus imperante Antonino scripserit, ac nihilominus annos imperii ejusdem uno semper anno anteverterit: ac postremo fatetur, se huic nodo solvendo non esse.

Dodwellus denique, ad Hadrianum quod adtinet, in Append. ad Dissert. Cypr. num. XLVIII. duplex ei initium seu natalem adsignat, alium die XI. Augusti anni Ch. 117., quum nuncium de morte Trajani is accepit, alium die IX. Augusti anni praecedentis 116., quo a Trajano eumdem fuisse adoptatum, contendit: atque ab hoc secundo natali annos ipsius Hadriani a Ptolemaeo fuisse numeratos docet. At jam diu Viris eruditis, atque ipsi etiam Cl. Praesuli pag. 36. observatum est, secundum hoc Hadriani exordium prorsus commentitium esse.

Omnibus expensis haec mihi in re tam difficili statui posse visa sunt. I. Ptolemaeum in annis Imperatorum in libris Mag. Constr. notandis superius laudato Canone

none, uti sentit Petavius, usum fuisse. II. illum non ideo Trajani, Hadriani, & Antonini Pii initia anno uno antevertisse, quod in eodem Canone, quae est altera Petavii sententiae pars, omnia ipsorum Romanorum Principum exordia a Cajo Caligula deinceps uno item anno antevertisset. III. eumdem probe Trajani, & Antonini Pii annos pro sui Canonis methodo numerasse. IV. male annos Hadriani putasse. V. denique vitiosam hanc annorum Hadriani putationem inde profectam fuisse, quod vitiose, apertoque unius anni prochronismo ejusdem Hadriani initium ob menses, ac dies, quos in praecedentium Imperatorum annis neglexerat, non sat bene suppletos, in eodem Canone consignasset.

Primum suadetur ex consensu, qui observatur inter Imperatorum annos, qui in libris Mag. Constr. notantur, & initia, quae in Canone iisdem Imperatoribus adsignantur. Sic lib. 7. cap. 3., ut supra diximus, primus annus Trajani numeratur die xv. & xviii. Mechir anni Nabonassari 845., hoc est die x. & xiii. Januarii anni Ch. 98., & in Canone ipsius Trajani exordium consignatur Thoth anni a morte Alexandri 421., qui est ipse Nabonassari 845., coeptus die xx. Iulii anni Ch. 97. Sic etiam lib. 3. cap. 8., ut pariter diximus, annus xvii. Hadriani numeratur die vii. Athir anni Nabonassari 880., hoc est xxv. Septembris anni Ch. 132. & in Canone Hadriani ipsius initium statuitur Thoth anni a morte Alexandri 440. qui est annus Nabonassari 864., coeptus die xxv. Iulii an. Ch. 116. Idem consensus in aliis quoque annis spectatur.

Secundum manifeste ostenditur ex putatione annorum Domitiani: nam non solum in libris Mag. Constr. ejus annus xii. recte conjungitur, ut supra vidimus ex Emin. Norisio, cum die ii. Tybi anni Nabonassari 840., hoc est cum die xxix. Novembris anni Ch.

92.

92., sed & in ipso Canone illius initium confertur in Thoth anni a morte Alexandri 405., qui est annus Nabonassari 829., coeptus die III. Augusti anni Ch. 81. Quare, quum Domitianus imperare coeperit die XIII. Septembris ejusdem anni Ch. 81., non antevertitur ejus initium uno anno, sed tantum diebus 41.

Tertium patet ex iis, quae de annis Trajani, & Antonini Pii superius notavimus, nimirum horum initia a Ptolemaeo in libris Mag. Constr. a Thoth vago illorum inaugurationem antecedente computari. Quod in ipso quoque Canone fit, quum in illo, ut omnium annorum exordium, ita & singulorum Imperatorum initia ab eodem Thoth vago deducantur: quo factum, ut ibidem statim post Tiberium eadem Imperatorum initia antevertantur, atque ita ab ipso Thoth vago vera initia antecedente computentur.

Quartum manifestum fit ex iis, quae superius pariter ostendimus, nimirum Ptolemaeum tam in libris Mag. Constr. quam in Canone non solum non computare initium Hadriani a die, quo Imperator hic inauguratus fuit, verum neque a Thoth vago proxime eam inaugurationem antecedente, sed hoc ipsum initium uno anno antevertere: neque ad eum culpa hac liberandum, admitti ullo modo posse opinionem Scaligeri, aut Dodwelli, de quibus supra.

Quintum denique patebit ex ipsa annorum, quos singulis Imperaroribus in Canone tribuit Ptolemaeus, supputatione: quam ut rite instituamus, Canonem ipsum, seu ejus partem, quae est de ipsis Romanis Imperatoribus, hic subjiciemus.

RO-

ROMANORUM REGES.		Anni a morte Alexandri M.
Augusti	43.	337.
Tiberii	22.	359.
Caii	4.	363.
Claudii	14.	377.
Neronis	14.	391.
Vespasiani	10.	401.
Titi	3.	404.
Domitiani	15.	419.
Nervae	1.	420.
Trajani	19.	439.
Hadriani	21.	460.
Antonini	23.	483.

Hoc in Canone Augusto tribuuntur anni vagi Aegyptii 43., postremusque annus est a morte Alexandri 337., qui desiit die XIX. Augusti anni Ch. 14., qua re ipsa excessit Augustus, postquam a capta mense Augusto anni ante Ch. 30. Alexandria, unde Aegyptii annos ipsius Augusti numerarunt, totidem re vera annis regnavisset.

Tiberio tribuuntur anni item vagi Aegyptii 22. ac po-

postremus ejus annus confertur in annum a morte Alexandri 359., qui desiit die XIII. Augusti anni Ch. 36. Regnavit autem Tiberius post mortem Augusti annos 22. menses 6. dies 13., obiitque die XVI. Martii an. Ch. 37. Quare annis solidis vagis 22. superant dies 150., qui quum Cajo dein adscribantur, fit, ut totidem diebus ejus initium antevertatur.

Cajo tribuuntur anni 4., ac quartus annus illigatur anno a morte Alex. 363., qui desiit die XII. Augusti anni Ch. 40. Regnavit Cajus a die XVI. Martii anni Ch. 37., qua obiit Tiberius, annos 3. menses 10. dies 8., obiitque die XXIV. Januarii anni Ch. 41. Quare numeratis, seu suppletis in eo diebus 150., qui in Tiberio superabant, superant adhuc dies 104., quibus Claudio tributis, hujus pariter initium totidem diebus antevertitur.

Claudio tribuuntur anni 14., postremus annus copulatur cum anno a morte Alex. 377., qui desiit die IX. Augusti anni Ch. 54. Regnavit Claudius a die XXIV. Jan. anni Ch. 41. annos 13. menses 8. dies 20., obiit vero die XIII. Octobris anni Ch. 54. Quare suppletis in primo hujus anno diebus 104., qui superarunt in Cajo, superant nunc tantum dies 65., quibus Neronis pariter initium antevertitur.

Neroni tribuuntur anni 14., postremus annus confertur in annum a morte Alex. 391., qui desiit die V. Augusti anni Ch. 68. Regnavit Nero a die XIII. Octobris anni Ch. 54. annos 13. menses 7. dies 28., obiit die IX. Junii anni Ch. 68. Hic supplentur dies 65., qui in Claudio superabant, ac praeterea adduntur dies 57., ut habeatur solidus annus Aegyptius a morte Alexandri 391.

Post Neronem omittuntur Galba, Otho, & Vitellius, quod nemo eorum integrum annum regna-

verint: illique statim subjicitur Vespasianus, qui nonnisi Cal. Jul. anni Ch. 69., vivente adhuc Vitellio, imperium iniit. Hinc eidem Vespasiano adscribitur totus annus a morte Alexandri 392., licet aliquot tantummodo ejus dies occupaverit.

Vespasiano tribuuntur anni 10. postremus annus copulatur cum anno a morte Alex. 401., qui desiit die III. Augusti anni Ch. 78. Regnavit Vespasianus a Cal. Jul. anni Ch.69. annos 9. menses 11., dies 24., obiit die XXIV. Junii anni Ch. 79., quare superant dies 316., qui Tito adscribuntur.

Tito tribuuntur anni 3., postremus est annus a morte Alex. 404., qui desiit die II. Augusti anni Ch. 81. Regnavit Titus annos 2. menses 2. & dies 20., obiit die 13. Septembris anni Ch. 81., quare superant tantum dies 42., qui Domitiano adsignantur.

Domitiano tribuuntur anni 15., postremus est annus a morte Alex. 419., qui desiit die XXIX. Julii anni Ch. 97. Regnavit a die XIII. Septembris anni Ch. 81. annos 15. dies 5., occisus est die XVIII. Septembris anni Ch. 96., quare superant dies 51. Nervae adsignandi.

Nervae tribuitur annus 1., qui est a morte Alex.420., ac desiit die XXIX. Julii anni Ch. 97. Regnavit a die XVIII. Septembris anni Ch. 96. annum 1. menses 4. dies 9., obiit die XXVII. Januarii anni Ch. 98., quare superant dies 182., qui Trajano adscribendi.

Trajano tribuuntur anni 19., postremus est a morte Alex. 439., qui desiit die XXIV. Julii an.Ch. 116. Regnavit a die XXVII. Januarii anni Ch. 98. annos 19. menses 6. dies 15., obiit die X. Augusti anni Ch. 17. Quare supra annos vagos 19., qui ei in Canone tribuuntur, regnavit dies 200., quibus si addantur dies 182., qui superarunt in Nerva, superant nunc dies 382., hoc

hoc est unus annus integer, & dies 17. Hinc profecta labes in initio Hadriani statuendo: nam quum regnare hic non coeperit nisi die x., aut xi. Augusti anni Ch. 117., qua obiit Trajanus, ejus nihilominus initium confertur in Thoth anni a morte Alex. 440., qui incidit in diem xxv. Julii an. Ch. 116., adeoque antevertitur uno anno & diebus 17., sicuti antevertitur finis Trajani. Perperam itaque collocato in Canone fine Trajani, & initio Hadriani, perperam quoque in libris Mag. Constr. annos ipsius Hadriani Ptolemaeus eo usus Canone computarit, necesse est. Ejus autem Ptolemaei lapsus haec caussa fuisse videtur, quod annos tantum solidos Trajani, qui fuerunt 19., notaverit, neglectis mensibus & diebus, quibus supra eos regnavit, nec de aliis diebus 182., qui in Nerva superaverant, in ipso Trajano supplendis cogitaverit. Quem errorem sine dubio devitasset, si Trajano annos 20. adscripsisset, tunc enim dies tantum 17. superassent.

Hadriano tribuuntur anni 21. Postremus est annus a morte Alexandri 460., qui desiit die xix. Julii anni Ch. 137. Regnavit a die x. Augusti anni Ch. 117., qua obiit Trajanus, annos 20. menses 11., obiit die x. Julii an. Ch. 138., quare superant dies 355., quibus antevertitur initium Antonini Pii.

Antonino tandem Pio tribuuntur anni 23. Postremus est a morte Alex. 483. qui desiit die xiii. Julii an. Ch. 160. Regnavit post mortem Hadriani annos 22. menses 7. dies 26., obiit die vii. Martii anni Ch. 161. Quare ex diebus 355. qui in Hadriano superaverant, supplentur hic in Antonino 128., ac superant adhuc dies 227. Si autem Trajano adsignati fuissent, ut supra diximus, anni 20., Hadriano 21., & Antonino 22. eadem annorum summa ab initio Augusti ad

finem usque Antonini Pii constitisset, nimirum anni 189., ac error, qui initio Hadriani statuendo admissus est, vitatus fuisset.

His occasione difficultatis, quae in annis Hadriani a Ptolemaeo numeratis deprehenditur, explicatis, probe jam elucere existimo, quam ob caussam idem Ptolemaeus in libris Mag. Constr. astronomicas observationes annis Trajani & Antonini consignans, horum initia non a vero natali, sed a Thoth vago verum ipsum natalem proxime antecedente enumeraverit. Ubi enim in iis annis notandis superius descripto Canone usus sit, nil mirum, quod eum in modum eadem initia computaverit. Quod autem de Ptolemaeo, idem plane dicendum, & de aliis Astronomis, si qui sunt, qui eadem ratione annos Imperatorum putaverint, ac praesertim de Menelao Geometra, cujus sunt duae illae observationes primo anno Trajani factae, quas refert, ut supra diximus, Ptolemaeus lib. 7. cap. 3., nimirum hos quoque eodem, aut simili Canone, usos fuisse, in quo tempora ipsorum Imperatorum per annos solidos numerantur, eorumdemque initia a communi quopiam principio repetuntur. Sed quid haec, iterum, cum populari Alexandrinorum, annos Principum numerandi, aut in nummis notandi, ratione?

Neque refert, ut postea ait Praesul Cl. eadem pag. 30., exstare nummos Galbae cum L. B. *anno* II., Hadriani cum L. K B. *anno* XXII., L. Veri cum L. ΔΕΚΑΤΟΥ *anno decimo*, & Otaciliae cum L. Z. *anno* VII. Philippi Aug., quos annos, si more Romanorum computentur, ii Imperatores non attigissent. Nam haec est ipsamet difficultas, quae ex illis nummis proficiscitur, quaeque ratione aliqua, quae solido, aut saltem verisimili quopiam fundamento nitatur, est expe-

pedienda. Eademsane difficultas reperitur etiam in aliquot Latinis,ac Graecis nummis, in quibus plures anni Tr. Pot. aliquorum Imperatorum notantur,quam illi re vera regnaverint: cujusmodi sunt nummi Nervae apud Occonem,& Golztium inscripti TR.P.III. & ΔΗ. ΕΞ. Γ., necnon nummi Volusiani apud eumdem Occonem cum TR.P. IIII., neque tamen inferri hinc licet, ipsos annos Trib. Pot. a Cal.Jan. a Romanis fuisse numeratos. Non multum absimilem rationem, ad eosdem tum Aegyptiacos, tum Latinos,ac Graecos nummos explicandos, excogitaverat Nicolaus Toinardus: nimirum Imperatores annos suos numerasse a die IV. Idus Decembris, quo Tribuni plebis suum inibant magistratum, ac tempus pariter, quod ante eum diem, imperio praefuissent, pro anno computasse. Sed opinionem hanc probe a Pagio, atque a me in priori Dissertatione confutatam fuisse, fatetur Praesul Cl. pag. 34. Ut ergo Romani annos Imperatorum non a Cal. Jan., aut alio quocumque die, sed a die imperii eorum natali certo numerabant, qui mos a Syro-Graecis etiam, ut de Antiochenis, & Seleucensibus supra vidimus, servabatur, idem quoque praestitisse Aegyptios dicendum, donec ratio aliqua, quae contrarium suadeat, in medium producatur, quae tamen nondum neque a Pagio, neque a Viro Illustrissimo, allata.

Quinimo Pagius, quum perspexisset, quam levi, inanique fundamento ea opinio superstructa esset, eamdem postea non uno in loco aperte abdicavit. Sic ad annum Ch. 103. postquam num. V. & VI. modo laudatam Toinardi conjecturam, recensuisset, ac confutasset, num. VII. haec subjicit: *Haec mea de hujusmodi nummis conjectura. Omnes nummi Latini, in quibus anni Tribunitiae potestatis annos imperii excedunt, aut mendose descripti, aut a monetariis in iis cuden-*

dendis erratum, aut anni unius Imperatoris alteri adtributi, ut de Gallo & Volusiano loquens ostendi. Quo ad nummos Graecos, in quibus plures imperii anni leguntur, quam reapse Augusti regnarint, vel idem dicendum ac de Latinis, in quibus anni Tribunitiae potestatis annos imperii superant, vel existimandum annos illos non ad imperium, sed ad aliquod aliud nobis incognitum referri. Ut ut vero de hac etiam Pagii conjectura sit, de qua a nobis actum in priori Diss. cap. IV. pag. 92., certe patet, hoc loco eum pro nummis Graecis, quibus proculdubio accensendi Aegyptii, ne verbum quidem de ea, annos Imperatorum a neomenia Thoth computandi, quam ipsis Aegyptiis alio loco tribuerat, ratione habere. Ad annum deinde Ch. 138. num. III. quum Hadrianum statuisset, a die x. Augusti an. 117. ad diem x. Julii anni 138., qua is obiit, regnavisse annos xx. & menses XI., nummos ejusdem Hadriani recensens cum L. K B. *anno* XXII., quos antea ea, de qua est quaestio, ratione explicaverat, hos percussos fuisse docet post mortem Hadriani in urbibus longe ab Italia dissitis, ad quas hujus mortis nuncius nondum perlatus erat. Ad annum etiam Ch. 131. num. III. laudat duos nummos Hadriani, in quorum alio expressus est *Adventus* typus & mulier cum galea Elephantina, quam Alexandriam esse ait, cum L. I E. *anno* XV., in alio vero ipsa Alexandria Hadrianum in quadriga advenientem salutat cum eadem nota L. I E., atque hos annos more Romanorum expresse numerat. Sic quoque ad annum Ch. 138. num. IV. probaturus Maximinum quartum annum imperii attigisse, affert ex Thesau. Mauroc. Patini nummum Graecum ipsius Maximini, necnon Maximi ejus filii cum L. Δ. *anno* IV.; quo argumento alibi etiam saepe utitur.

Jamvero si Aegyptii eadem ratione ac Romani annos

annos Imperatorum computabant, quum ſint nummi Aegyptiaci Anniae Fauſtinae, & Aquiliae Severae anno v. imperii Elagabali inſigniti, revocari amplius in dubium non poteſt, quin Elagabalus quintum annum imperii re vera inierit, ac poſt eum initum Anniam Fauſtinam repudiaverit, duo alia matrimonia contraxerit, ac demum ad Aquiliam Severam redierit: quae ſane nullo modo explicari queunt per conjecturam ab Illuſtriſs. Praeſule in *Addendis* propoſitam, de qua capite praecedenti, licet per eamdem explicari utcumque poſſint nummi ipſius Elagabali Trib. Pot. V. inſcripti. Si enim nummi in honorem ipſius Anniae Fauſtinae cuſi ſunt ab Aegyptiis, cuſi proculdubio fuere antequam ab Elagabalo repudiata fuiſſet, aut ſaltem antequam fama ejus repudii iis in locis vulgata eſſet. Incredibile namque, atque abſonum prorſus videtur, ut repudiatis ipſis Imperatorum uxoribus nummi a quopiam percuterentur: quod profecto neque ipſe Illuſtriſs. Praeſul affirmat, tametſi eas contendat, tam poſt repudium, quam poſt virorum exceſſum titulum, atque inſignia Auguſtarum retinuiſſe, niſi vel maritus, vel ſucceſſor eoſdem illis honores ademiſſet. Siquidem etſi admitti quoquo modo poſſit, illas poſt repudium titulum ejuſmodi atque ornamenta retinuiſſe, non inde tamen efficitur nummorum quoque honorem iiſdem indultum fuiſſe: quamquam, ut verum fatear, nec de ipſo titulo, ac inſignibus tam facile concedi poſſe crediderim; quum haec Cl. Praeſulis regula nonniſi duobus exemplis nitatur, quorum alterum aperte falſum, alterum vero plane incertum. Prius exemplum eſt uxoris Severi Alexandri, quam in Italica epiſtola dixerat, virum rogaſſe, ut ſibi, quamvis regiis aedibus pulſae, Auguſtae nomen relinqueretur, quod non auſa, inquit, fuiſſet petere,

niſi

nisi dimissis conjugibus concessum de more fuisset. Verum factum hoc prioris Dissert. pag. 70. falsum esse, ut ajebam, ostendi: id, quod vel ipse Praesul Cl. nunc pag. 183. diserte pro sua ingenuitate fassus est. Alterum verum exemplum est Corneliae Paullae prioris Elagabali uxoris, de qua haec Herodianus lib. 5. cap. 6. *Duxit praeterea uxorem, illustrissimam Romanam feminam, quam etiam Augustam appellavit: cumque ea tamen paullo post divortium fecit, ademtisque honoribus privatam colere vitam jussit*. Ex his enim tum in Italica epistola, tum nunc fusius pag. 186. infert, quod quum Historicus conceptis verbis scribat, Elagabalum divortium cum Cornelia Paulla fecisse, atque ei honores eripuisse, non eo ipso post divortium Caesarum conjuges eosdem honores amitterent. Hoc autem exemplum est, quod incertum supra vocavi: nam utut verba illa Herodiani explicationem hanc suscipere possint, attamen aeque recte dici potest, iisdem tum divortium, tum ea, quae ipsum divortium de more comitabantur, indicare scriptorem voluisse. Quem sane sensum neque respuit ipse textus Graecus, in quo: μετ' ὀλίγον, inquit, χρόνον ἀπεπέμψατο, ἰδιωτεύειν κελεύσας, καὶ τῶν τιμῶν παρελόμενος, *paullo post dimisit, privatam esse jubens, atque honores adimens*. Neque vero ex eo, quod idem Herodianus, de aliis duabus Elagabali uxoribus, Aquilia nimirum Severa, & Annia Faustina postea loquens, minime scribat, iis quoque honores ademtos fuisse, colligere licet, hos ipsis post divortium re vera fuisse relictos. Nam praeterquam quod dici potest, eum satis, quae cum divortio conjungebantur, supra, quum de priori uxore loquutus fuerat, expressisse: certissimum quoque est, non omnia semper Historicos recensere; quod patet in his ipsis duabus Elagabali uxoribus, de quibus minime nar-

rat

rat Herodianus, quod Auguſtae a viro appellatae fuiſſent, quamvis eo titulo inſignitas eaſdem fuiſſe, nummi illarum, ut obſervat quoque Ill. Praeſul, teſtentur; imo nec de tertia uxore tradit, quod repudiata fuerit, ac poſt illam duo alia matrimonia inierit Elagalus, ac demum ad Aquiliam Severam redierit, quod ceteroqui diſcimus ex Dione. Aliam regulam, a Cl. Praeſule pro uxoribus marito ſuperſtitibus traditam, non moramur: quum nunc probe conſtet, Epocham Damaſcenorum, quae in celebri nummo Anniae Fauſtinae D. Theupoli inſcripta ferebatur, & ad quam tuendam eadem regula potiſſimum excogitata, in ipſo nummo re vera inſcriptam non eſſe, ac nummum praeterea P. Chamillardi, qui in cauſſae ſubſidium adſcitus fuerat, adulterinum jam eſſe oſtenderimus.

Ut autem hi nummi Aegyptiaci Anniae Fauſtinae explicari nullo modo queunt per conjecturam a Cl. Praeſule in *Addendis* propoſitam, ſic nonniſi aegre admodum explicari poſſunt per aliam ejuſdem conjecturam, de qua ſupra cap. XII. Si enim juxta illud ſyſtema Cal. dumtaxat Jan. anni Ch. 222. quintum annum imperii inchoavit Elagabalus, ac die poſtea decima Martii ejuſdem anni occiſus eſt, breve nimium id ſpatium videtur, ut intra illud, quemadmodum in fine ejuſdem capitis XII. notavimus, Anniam ipſam Fauſtinam dimittere, duo alia matrimonia inire, ac tandem ad Aquiliam Severam redire Elagabalus potuerit. Eadem difficultas reperitur quoque in Cl. Vignolii ſententia, in qua Elagabalus die XVI. Maji ejuſdem anni 222., quintum annum imperii auſpicatus, die demum XI. Julii occubuit. Quare, quum praeter incommoda, quibus ſingulas earum opinionum obnoxias eſſe demonſtravimus, hoc etiam non leve acce-

 dat,

dat, quod per illas aut nullo modo, aut nonnisi difficulter nummi Anniae Faustinae cum *anno* v. imperii Elagabali explicantur: hinc sequentibus capitibus videndum, num ratio, quam pro annis Elagabali numerandis in priori Dissertatione proposuimus, qua certe & nummi illi non incommode explicantur, in re tot circumquaque difficultatibus impedita, admitti re vera possit; rationumque momenta, quibus eamdem tum Cl. Vignolius, tum Illustriss. Praesul exagitarunt, discutienda.

CAPUT XV.

Elagabalus Antoninum, Antonini Caracallae filium, Imp., Aug., & Tr.Pot. se inscripsit ante Senatus decretum. Hinc conjicitur, illum tempus sui imperii numerare potuisse a morte Antonini Caracallae. Idem a militibus electus Imp. tamquam filius Antonini Caracallae, ejusque imperii successor. Macrini memoriam invisam reddit, eumque imperii raptorem traducit. Consulatum Macrini sibi vindicat, nomenque illius e Fastis eradit; ac suum substituit. E marmoribus quoque, in quibus Macrinus Imp. & Aug. dicitur, idem nomen expunctum.

QUum tot argumentis, quae a nobis sex prioribus capitibus allata sunt, plane constet, Elagabalum, qui die XVI. Maji anni Ch. 218. acclamatus fuerat Imperator, mense Martio anni 222. occisum fuisse: contra vero nummi exstent tum Latini, tum Graeci, ex quibus apparet, eum Tr. Pot. V., quintumque annum imperii re vera numerasse: hinc coacti prorsus videmur, ut rationem aliquam, qua in concordiam haec redigantur, investigemus. Hanc autem rationem in priori

ri Dissert. cap. v. esse conjecimus, quod Elagabalus licet die tantum xvi. Maji anni 218. Imperator a militibus salutatus fuisset, sui imperii nihilominus initium a die viii. Aprilis anni 217., qua Antoninus Caracalla, cujus se filium nuncupabat, fatis concesserat, repetere potuerit. Sic enim die viii Aprilis anni 221. Trib.Pot. V., ac quintum annum imperii iniisset, & post eum initum usque ad diem x. Martii anni 222., qua occisus fuit, Anniam Faustinam dimittere, duas alias uxores ducere, ac demum ad Aquiliam Severam sat commode redire, potuisset. Eam suspicionem mihi injecerat locus Dionis lib. 79 pag. 907., ubi de Elagabalo: *In epistola,* inquit, *quam ad Senatum, & scripto, quod ad Populum misit, & Imperatorem, & Caesarem se, filiumque Antonini, Severi nepotem, Pium, Felicem, Augustum, Proconsulem, Tribunitiae potestatis inscripsit; haec nomina necdum sibi decreta prior occupans.* In mentem siquidem venerat, quod quemadmodum iis nominibus sese inscribere, ausus fuerat, antequam a Senatu sibi eadem decreta fuissent, quod Antonini Caracalle filius esse contenderet, ita fieri potuerit, ut suum ad imperium jus hac in ratione constitueret, proindeque ab ipsius Caracallae morte sibi idem imperium vindicare voluerit.

Conjecturam hanc minime probat Cl. Vignolius pag. 19., quia non aliter, inquit, ea in epistola, aut scripto poterat se Elagabalus nuncupare, quum illum tamquam Antonini Caracallae filium milites Imperatorem elegissent. At hoc ipsum est, ajo ego, quod locum nostrae conjecturae praebet, nimirum verisimile esse, ut, quemadmodum milites eum tamquam Antonini Caracallae filium Imperatorem elegerant, ita ipse imperii sui initium a morte ejusdem Antonini Caracallae deducere voluerit. *Erant autem ex iis*, ait

Herodianus lib 5. cap. 3., *nonnulli Roma profugi, Maesae familiares, quibus illa formam pueri admirantibus, incertum, mentita, an verum professa, filium utique esse ait Antonini, quamvis alterius putaretur. . . Ea res audita ab illis, ac sensim communicata reliquis commilitonibus, per universum denique exercitum vulgata est. Porro etiam acervos habere nummorum, Maesa dicebatur, facilique omnes militibus elargitura, si modo Imperium suae soboli restitueretur. Pollicentibus autem, se eam cum suis, si noctu clanculum in castra venisset, patentibus portis excepturos, atque Antonini filium Imperatorem declaraturos, nihil scilicet recusavit anus &c.* Et cap. sequenti· *Ut autem eo pervenit Julianus, ac jam moenibus succedebat, statim inclusi milites puerum exercitui infesto de turribus, pinnisque ostentare, vociferari Antonini filium: sacculos quoque nummorum plenos, escam scilicet proditionis ostentantes. At illi, credito Antonini esse filium &c.* Milites igitur, ut & sponte concedit V. Cl., Elagabalum Imperatorem, quod esset filius Antonini Caracallae, declararunt. Hae ergo Elagabali pro obtinendo, imo pro recuperando, imperio rationes: quibus, justae ne eaedem fuerint, an secus, felix certe etiam, faustusque exitus obtigit. Quidni igitur conjici hinc potest, eumdem Elagabalum a patris Caracallae interitu sui imperii exordium deduci voluisse?

Rem declarat luculentius Dio pag. 902. & sequ., ubi postquam narravit, Julianum ad castra, in quibus servabatur Elagabalus, oppugnanda venisse, subdit: *Avitum illi, quem Marcum Aurelium Antoninum jam nominabant, supra munitionem efferentes, & imagines quasdam Caracalli pueri velut huic adsimiles Macrinianis ostendentes* παῖδά τε ὄντως αὐτὸν ἐκείνου, καὶ διάδοχον τῆς ἀρχῆς εἶναι ἔλεγον *RE VERA FILIUM EJUS ET IMPERII SUC-*

SUCCESSOREM ADSEREBANT, *simul bas voces exclamantes: Quid agitis commilitones, cur ita bene de vobis meriti filium oppugnatis? Usque adeo milites, qui aderant cum Juliano, rerumque novarum percupidi erant, commoverunt, ut praefectos sibi praeter Julianum occiderint: & arma Pseudantonino tradiderint*. Paullo post: *simul ipse puer ad eos e munitione castrorum, alio verba subjiciente, concionem babuit: qua patrem laudabat, & Macrinum tanquam* .... Nisi reliqua Elagabali concio injuria temporis interiisset, clarius forte ex ea, quae sibi adversus Macrinum jura adrogaret, perspicere potuissemus: quamquam satis eadem colligere liceat ex priori loco, in quo milites Elagabalum non modo *Antonini filium*, sed & *imperii successorem* adseruisse, leguntur. Atque hinc patet discrimen, quare licet etiam Alexander Antonini Caracallae filium, quemadmodum postea subdit V. C., se inscripsisset, imovero & re ipsa esset, non sui tamen imperii initium ab ejusdem Caracallae morte desumserit. Nam praeterquam quod alius jam ex illa ipsa caussa ante eum Imperator exstiterat, neque inde suum unquam ad imperium jus accersivit, uti fecerat Elagabalus, sed ex eo, quod a Senatu primum Caesar, ac deinde Augustus, declaratus fuisset: quod testatur ipsemet Alexander apud Lampridium in ejus vita cap. 8.

Ad eamdem conjecturam suadendam addideram, Elagabalum statim post mortem Macrini nihil non egisse, quo ejusdem Macrini memoriam invisam omnibus redderet, eumque tamquam imperii usurpatorem traduxisse. Quod probaveram ex Dione, pag. 906., ubi: *Romam*, inquit, *literas misit, cum aliis de rebus, quas par erat adjungere, tum etiam Macrinum ob generis ignobilitatem, & structas Antonino insidias invisum reddens. Inter cetera scriptum boc quoque legebatur:* cui

cui non fas erat ingredi curiam post illam praeconis vocem, qua praeter Senatores alii arceri solent: is ausus est trucidato per fraudem Imperatore, cujus ei custodia commissa fuerat, IMPERIUM AD SE RAPERE; ac prior Imperator, quam Senator fieri. Hoc in Macrinum concitato odio plures etiam eum inter fecisse, ex eodem Dione adnotaveram, qui e Macrini partibus steterant: locumque Lampridii in ejus vita cap. 3. recitaveram, ex quo apparebat, ubi Romae in Senatu ipsius Elagabali literae, in quibus Antoninum, & Antonini filium se nuncupaverat, lectae fuerunt, gavisos cunctos fuisse, dirisque Macrinum ejusque filium devovisse. Ex eodem Lampridii testimonio patere dixeram, Elagabalum a Senatu etiam Populoque Romano re vera uti Caracallae filium habitum, susceptumque fuisse: atque ex his intuleram, quod, quum ob id nomen mirum sibi apud omnes amorem conciliasset, contra vero Macrino, utpote nefario Antonini Caracallae interfectori, ac injusto imperii usurpatori, universorum invidiam conflavisset: verisimile quoque videri poterat, illum tempus imperii Macrini sibi tanquam ipsius Caracallae filio & successori adscribi voluisse.

His opponit Vir Cl. pag. 21., quod licet Elagabalus ad Senatum scribens, inter cetera, de quibus Macrinum incusaverat, illum, imperii raptorem dixisset, hinc tamen deduci nequeat, eam Elagabali mentem fuisse, ut sibi raptum a Macrino imperium crederet, quum potius sic illum ideo appellasse videatur, quod imperium cum vita Antonino Caracallae eripuisset. Sed esto, iis in literis non ea mens fuerit Elagabali: neque enim eam fuisse, uspiam ego affirmavi. Dixeram, quod, quum in invidiam Macrinum utpote Antonini Caracallae interfectorem, ac injustum

ſtum imperii uſurpatorem, aliiſque de cauſſis, quae in citato loco Dionis memorantur, adduxiſſet, ſibi vero amorem omnium, quod Antoninum ſe & Antonini filium diceret, primum comparaſſet, veriſimile quoque videbatur, ſibimet uti ejuſdem Caracallae filio & ſucceſſori, quemadmodum re vera eum milites, ut ſupra vidimus, declararunt, tempus Macrini vindicare voluiſſe. Ad hoc namque, neque oportebat, quod poſtea V.C. ſubjicit, ut antequam Macrinus imperium occupaſſet, jus aliquod ipſe Elagabalus Caracallae in imperio ſuccedendi adeptus fuiſſet, ut nempe Caeſar vel a Caracalla, vel a Senatu dictus eſſet: ſed ſatis erat jus, quod in eo milites tum agnoverunt, approbaruntque, nimirum quod Antonini filius eſſet, ſucceſſorque imperii. Nec refert, quod addit pag. 24., quod licet milites eum filium re vera ipſius Antonini eſſe & imperii ſucceſſorem adfirmaverint, id tamen efficere non potuerit, ut qui dies Macrini imperio fluxerant, Elagabali nomine ſignarentur iterum, & quae prima imperii Elagabali dies fuerat, anni ſecundi nota in nummis inſcriberetur. Nam eadem difficultas eſt in Conſulatu ordinario Macrini inito Cal. Jan. anni Ch. 218., quem, licet jam ante geſtus eſſet, nec prorſus eum attigiſſet, ſibi nihilominus Elagabalus adrogavit, atque anno inſequenti 219., quo Conſul primum dumtaxat, niſi ſibi eum adrogaſſet, fuiſſet, Conſulem II. ſe inſcripſit, & anno 220. Conſulem III., & anno 222. Conſulem IV.

Hoc ipſum Elagabali factum, quod nimirum Conſulatum Macrini ſibi adſcripſerat, ex noſtra conjectura pag. 101. explicaveram. Dixeram ſiquidem, quod quum Macrinus eo anno Ch. 218. non alia de cauſſa Conſulatum ſuſcepiſſet, quam quia anno praecedenti ad imperium fuerat evectus: hinc Elagabalus, quia

eodem

eodem praecedenti anno imperium non ad Macrinum, ſed ad ſe, uti verum Antonini filium & ſucceſſorem pertinuiſſe exiſtimabat, ipſum quoque Conſulatum anni 218. ad ſe omnino ſpectare, contendere poterat.

Factum hoc Elagabali dumtaxat in Macrinum odio tribuendum exiſtimat V. C. pag. 25.: additque, hoc, atque alia, quae praeter conſuetudinem, uſumque receptum egerat Elagabalus, recenſeri a Dione; minime vero ab eo memorari, quod tempus quoque imperii Macrini ſibi is adrogare voluiſſet. Verum quod ad odium, quo Macrinum Elagabalus proſequutus eſt, quaeri rurſus poteſt, cur uſque adeo progreſſum *illud* ſit, ut ſpreta faſtorum fide & auctoritate, nomen ejus ex illis expungere, ſuumque loco illius ſubſtituere auſus ſit? Haec autem ex noſtra conjectura recte explicari, iterum dicimus. Macrinus enim ideo faſtos eo anno nomine ſuo inſigniverat, quod anno praecedenti imperium ſuſcepiſſet. Is quippe mos erat, ut qui ad imperium per annum evehebantur, Conſulatu quoque Cal. Jan. anni inſequentis donarentur; quod conſtat, ut probe notum, ex Plinii Panegyr. cap. 57., ubi laudatur moderatio Trajani, quod proximis poſt adeptum imperium Calendis Jan. Conſul procedere noluiſſet. Ut ergo perperam, ac per ſummum nefas Macrinum anno praecedenti 117. imperio potitum cenſebat Elagabalus, ſic immerito Conſulatum anno 118. adeptum fuiſſe contendebat: atque hinc e faſtis ejus nomen eradi juſſit. Quoniam vero eodem anno 117. poſt Antonini Caracallae mortem ad ſe imperium ſpectaſſe putabat; propterea Conſulatum quoque anni inſequentis vindicare ſibi poterat; atque ita non ſolum e faſtis ejus anni nomen Macrini expunxit, ſed & ſuummet loco illius ſubſtituit. Quod vero ad Dionem, quem hujus rei, V. C. ait, non meminiſſe:

cer-

certum est, quod si meminisset, nullus deinceps huic quaestioni reliquus locus fuisset; ut & innumerae aliae sublatae apud eruditos controversiae fuissent, si veteres Scriptores clare nobis, diserteque omnia tradidissent. Ex iis ergo quae non tradidere, licet, ut aliis in rebus, ita in hac, quae non tradidere, conjicere.

Eadem ratione, qua nomen Macrini e fastis anni Ch. 218. ab Elagabalo erasum juxta nostram conjecturam fuisse, dixeram, explicaveram quoque, quare idem nomen e marmoribus anni Ch. 217., V. C. 970. quo imperium ille occupaverat, deletum fuerit. Exstat enim apud Gruterum pag. ccc. haec ipsius Macrini Inscriptio.

IMP.......SEVERVS.......
COOPTATVS
C. BRVTTIO . PRAESENTE . T. MESSIO
EXTRICATO
II. COS
P.R.C. ANN. DCCCCLXX

hoc est: *Imperator Opelius Severus Macrinus Augustus cooptatus &c.* Scilicet dixeram, quod non ex odio dumtaxat eo ex marmore id nomen Elagabalus eradi jussisset, sed ideo fortassis maxime, quod in illo Macrinus *Imperator Augustus cooptatus* diceretur. Hoc etiam ex odio tantummodo in Macrinum fecisse Elagabalum docet V. C., nam si Macrinum perperam in eo marmore Imperatorem Augustum cooptatum dici, contendisset, titulum etiam ipsum Imperatoris, qui superest, totumque illud elogium omnino perdi, aut luto tegi mandavisset. Fateor profecto, id quoque eum jubere potuisse.

Id ipsum jubere poterat, etiamsi fecisset, ut ipse V. C. sentit, ex solo in Macrinum odio, quum eo usque, ex ipsius pariter sententia, processisset, ut spreta, quemadmodum diximus, fastorum fide & auctoritate, nomen ejus ex illis eradere, suumque loco illius substituere, veritus non fuerit. Non jussit tamen: ac per me ideo non jussit, sed nomen tantum Opelii Macrini expungi, curavit, quod satis id esset, ut ostenderet, ejusmodi Imperatoris & Augusti titulos perperam ei illo in marmore tributos fuisse. Ceterum ipsi Viro Cl. adsentimur, inscriptionem hanc ab aliquo Collegio positam fuisse, ipsumque Macrinum in Collegium illud, aut Ordinem fuisse cooptatum. Imo si divinare licet, positam eamdem crediderim, quum a Senatu post occupatum imperium inter Patricios adlectus fuit. Cujus sane adlectionis diserte meminit Capitolinus in ejus vita cap. 7. *Lectis igitur*, inquit, *in Senatu literis contra opinionem omnium, & mortem Antonini gratanter accepit, & Opilium Macrinum libertatem publicam curaturum sperans, primum in Patritios adlegit novum hominem, & qui paullo ante procurator privatae rei fuisset*. Atque hinc ansam sumsit Elagabalus, ipsum Macrinum in epistola, quam ad Senatum scripsit, ut supra ex Dione notavimus, ob generis ignobilitatem, carpendi, eumdemque tamquam contra jus & fas imperio potitum traducendi. Cetera, quae nostro systemati probe congruere dixeram, quaeque Viri Cl. censuram pariter subiere, sequenti capite exponemus.

CA-

CAPUT XVI.

Nummus Aegyptiacus Corneliae Paullae cum L. Γ., *in quo Imperator eques Pacificatoris habitu, a Vaillantio vere laudatus. Hanc duxit Elagabalus non multo post suum ad Urbem adventum. Graeci Latinorum nummorum typos aemulari soliti. Typi Augustorum in nummis uxorum repraesentati. Nummi Corneliae Paullae* L. Γ. *&* L. Δ. *notati, necnon nummi Anniae Faustinae & Aquiliae Severae cum* L. E. *per nostram conjecturam recte explicati. Dio & Herodianus per eamdem conjecturam conciliati. Nummi Elagabali inscripti TR. P. COS. II. non pugnat cum dicta conjectura.*

PRioris Dissertationis pag. 102. observatum nobis fuit, recitari a Vaillantio in nummis Graecis nummum Juliae Corneliae Paullae prioris uxoris Elagabali notatum L. Γ. *anno* III., in quo *Imperator eques Pacificatoris habitu*. Eadem occasine ectypum alterius nummi ejusdem Augustae protulimus, quem una cum aliquot aliis ex percelebri suo museo nobis Venetiis per literas transmiserat D. Jo. Dom. Theupolus: in quo visitur *Imperator eques nudus, capite laureato, dextra globum, sinistra scipionem;* atque hunc, quum eamdem notam L. Γ., ipsumque Imperatorem pariter equitem praeferret, priori similem, tametsi non in omnibus similis esset, minus quidem, ut verum fatear, exacte vocaveram. Porro quum in nummis Latinis, in quibus Imperator eques habitu pacificatoris effertur, plerumque adponi soleat epigraphe: *ADVENTVS AVGVSTI*, ac sint re ipsa apud eumdem Vaillantium nummi ipsius Elagabali eodem typo, eademque epigraphe insigniti: hinc nummum illum

Corneliae Paullae a Vaillantio memoratum, quum ad nullum alium Elagabali Adventum, quam quum Romam venit, referri posse videretur, circa tempus, quo Romam re ipsa is venit, aut non multo post percussum fuisse, intuleram. Quoniam vero Romam venerat Elagabalus anno Ch. 219., postquam Nicomediae hiemasset, ibidemque aliquanto etiam, post ipsa hiberna, tumultus aliquot, ut ostenderam pag. 15., restincturus substitisset: hoc recte systemati nostro congruere affirmaveram, quum circa id tempus tertium imperii sui annum eo nummo notatum probe attingere potuisset. Ex eodem nummo pariter deduxeram, quod, si Elagabulus Corneliam Paullam post suum ad Urbem adventum duxit, statim, ac nulla fere mora interjecta eam duxerit. Quod indicari quoque a Dione notavi, qui apud Xiphilinum Corneliam Paullam sibi illum despondisse scribit, *ut fieret pater, sicuti dicebat, celerius.*

Tria his opponit Cl. Vignolius pag. 31. & seqq. I. quod nummus ille Corneliae Paullae, quem ego ex museo D. Theupoli attuleram, minime ad Adventum Elagabali pertinere possit, quum in eo non Imperator eques habitu pacificatoris descriptus sit, sed equestris nudi puerulı figura, quam Genium potius aliquem, quam Romanum Imperatorem referre, ipse existimat. II. quod nummus ille Aegyptiacus sit, non Latinus, ac Romani quidem Senatus cura esset, ut quoties Imperator aliquis ad Urbem accederet, in suis nummis illius adventum exprimeret, non vero Aegyptiorum. III. quod idem nummus Corneliae Paullae caput exhibeat, non Elagabali, adeoque nec hujus adventum significare possit. Addit vero, Elagabalum Corneliam Paullam Romae duxisse, quum Dio & Herodianus eas nuptias recenseant, postquam illum jam Romam venisse scripsissent: ac postremo contendit,

ex

ex eo, quod tradat Dio eumdem Elagabalum illam duxisse, *ut fieret pater, ficuti dicebat, celerius*, minime inferri, quod statim post suum ad Urbem adventum eam duxerit, quum ad suam potius aetatem excusandam id dixisse videatur Elagabalus, utpote annos tum natus circiter sedecim, qua de caussa & statim de eodem subdit Dio: *qui ne vir quidem esse poterat*.

Quod ad primum, licet nummus Corneliae Paullae, quem ex museo D. Theupoli protuli, non exhibeat Imperatorem equitem habitu Pacificatoris, illum tamen revera exhibet nummus ex museo Maurocenico recitatus a Vaillantio in nummis Graecis edit. Amstel. pag. 131., ubi hunc in modum describitur: L. Γ. *anno tertio. Imperator eques pacificatoris habitu*. Quare nil refert quod duo illi nummi similes omnino sint, aut prorsus dissimiles, quum satis sit, eum, quem laudat Vaillantius, illum in modum vere se habere.

Quod vero ad secundum, quamvis nummus ille Aegyptiacus sit non Latinus, multum tamen verisimile est, quod docet Nicolaus Toinardus in Dissert. *de Commodi Imperatoris aetate in nummis inscripta*, nimirum Graecos Latinorum numismatum typos aemulari solitos fuisse. Sic enim quum ille laudatae Dissert. pag. 3. ad annum aetatis Commodi 20. Ch. 180. duos nummos Aegyptiacos ipsius Commodi ex Thesauro Muroceni recitasset, atque hos cum duobus Latinis contulisset, subdit: *Ex his duobus numismatis videre est, Graecos Latina numismata imitari, uti a me identidem ad annos insequentes indicabitur. Id discimus ex aereis, rarissimisque, tam magni, quam maximi moduli ejusdem Commodi numismatis apud Occonem pag.* 317. *&* 318. *ac Mediobarbum pag* 246. *&* 248. *in quibus epigraphe: TEMPORUM FELICITAS TR. P. VII. COS. III. P. P. vel TR. P. VIII. COS. IIII. cum typo quatuor puerulorum quatuor*

anni

anni tempestates disignantium. Simile enim cuderunt Laodiceni, in quo: ΕΥΤΥΧΕΙϹ ΚΑΙΡΟΙ, *id est FELICIA TEMPORA, teste Jac. Sponio peregrinationum suarum tom.* III. *pag.* 191. Videatur idem Toinardus pag. 4. & alibi.

Quod denique ad tertium, licet idem nummus caput Corneliae Paullae exhibeat, non Elagabali, novum tamen non est, aut insolens, ut in nummis Augustarum virorum Augustorum typi repraesententur. Id patet, ut alia innumera exempla mittam, ex insigni nummo primae magnitudinis ipsius Corneliae Paullae a Juliopolitis percusso apud Vaillantium, in cujus priori parte visitur caput ejus Augustae cum epigraphe: ΙΟΥΛΙΑ ΚΟΡΝΗΛΙΑ ΠΑΥΛΑ ΣΕΒ., in aversa vero *Elagabalus paludatus stat in quadrigis scipionem eburneum tenens*, cum epigraphe: ΙΟΥΛΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. Ceterum quod Dio & Herodianus Elagabalum Corneliam Paullam duxisse in matrimonium narrent, postquam venisse eum Romam jam tradidissent, hinc profecto colligi nequit, eas nuptias post illius ad Urbem adventum celebratas fuisse: quum notum sit, Historicos non omnia per seriem, atque ordine temporis servato recensere. Ut ut tamen fuit, non video, cur, si duxit postquam Romam venit, ducere statim, aut non multo post suum adventum, haud potuerit. Nam etiamsi Viro Cl. concedamus, Elagabalum, dum eam se ducere dictitabat, *ut fieret pater celerius*, id dixisse ad aetatem suam excusandam: attamen hinc magis evincitur, illam, ubi primum advenit, quum nempe esset annorum dumtaxat circiter quindecim, duxisse, minime vedistulisse nuptias usque ad annum decimum sextum aut, ut mox dicemus, decimum septimum; quo sane tempore, ut minus idonea excusatio illa fuisset, sic minus aequa videri posset nota illi a Dione inusta, quod nempe uxorem duxerit, ac *fieri pater* voluerit, dum *ne vir quidem esse poterat*. Ob-

Obſervaveram deinde pag. 103., alium Graecum nummum ejuſdem Corneliae Paullae a Vaillantio laudari ſignatum L. Δ. *anno* IV. Hinc, quum ex Herodiano conſtaret, Elagabalum eam non multum retinuiſſe, ſed μετ' ὀλίγον χρόνον *poſt parvum tempus* cum ea divortium feciſſe, contra vero ex Dione appareret, eamdem non multo poſt ſui Romam adventum duxiſſe, haec etiam recte per noſtram conjecturam explicari poſſe dixeram. Si enim initium imperii Elagabali deſumamus a die VIII. Aprilis anni Ch. 217., ac Elagabalum anno 219., quo Romam venit, puta circa menſem Junium, Corneliam Paullam ſibi deſpondiſſe ſtatuamus, retinuerit vero uſque ad menſem Aprilem anni 220., recte ipſi Corneliae Paullae cudi potuiſſent nummi anno IV. imperii Elagabali inſcripti, ut & tempus illud, quod a menſe Junio anni 219. uſque ad menſem Aprilem anni 220. fluxit, recte ab Herodiano ὀλίγον *parvum* dici potuiſſet. Contra vero, ſi initium Elagabali a die XVI. Maji Ch. 218. repetatur, quum quartus ejus annus non coepiſſet niſi die pariter XVI. Maji anni 221., ad hoc uſque tempus Corneliam Paullam Elagabalum retinuiſſe, dici oporteret. Si autem a ſuo ad Urbem adventu, qui proculdubio contigit anno 219., uſque ad menſem Majum anni 221. retinuiſſet, *parvum* profecto illud tempus dici ab Herodiano non potuiſſet.

Cl. Vignolius pag. 34. poſtquam adnotaverat verba illa a Dione de Elagabalo dicta: *ut fieret pater, ſicuti dicebat, celerius*, non ita eſſe intelligenda, quaſi ſtatim ipſe Elagabalus poſt ſui Romam adventum Corneliam Paullam duxiſſet, ſed dictum id fuiſſe ab eodem Elagabalo ad aetatem ſuam excuſandam, docet, non ante illum ſibi eamdem deſpondiſſe, quam tertius ſui imperii annus in exitu eſſet: atque ita non aliud

ma-

majus temporis spatium brevi huic conjugio tribui posse ait, quam anni tertii exitum & quarti initium, sicuti re ipsa exstant nummi ipsius Corneliae Paullae anno III. & IV. imperii Elagabali notati. Jam ergo per Cl. Vignolium Corneliam Paullam non duxit Elagabalus nisi circa mensem Aprilem, aut Majum anni Ch. 221., hic enim tertii anni illius imperii exitus. Ac quoniam ex Herodiano lib. 5. cap. 3. quum die XVI. Maji anni Ch. 218. acclamatus fuit Imperator, annos natus erat *circiter quatuordecim*, hinc, quum Corneliam postea despondit, annos natus fuerit, necesse est, circiter septemdecim. Si autem annos tum natus erat circiter septemdecim, cur pro uxore ducenda aetatem suam excusavit? cur adeo praecoces eas nuptias putavit Dio, ut illum notaverit, quod *pater fieri* voluisset, quum *ne vir quidem esse* posset? Rectius itaque dicendum videtur, eum Corneliam duxisse circa tempus, quo Romam advenit, quum nimirum esset annorum dumtaxat circiter quindecim: ac quum eamdem post parvum tempus repudiaverit, differri id repudium non poterit usque in mensem Majum anni 221.

Repudiata Cornelia Paulla, dixeram pag. 105., Elagabalum Aquiliam Severam duxisse, atque hujus nummum dedimus ex museo D. Theupoli insignitum L. Δ. *anno* IV. Aquilia etiam Severa paullo post dimissa, tertiam duxisse, observavi, nimirum Anniam Faustinam, cujus nummi exstant notati L. E. *anno* V., & post hanc aliam etiam, atque aliam, ac dein iterum ad Aquiliam Severam, cujus pariter sunt nummi eodem L. E. *anno* V. obsignati, rediisse. Haec autem tot Elagabali matrimonia, quae in aliorum sententia, ut in fine etiam cap. XIV. hujus Dissert. ostendimus, sat bene explicari nequeunt, recte per nostram conjecturam explicari posse diximus. Deducto enim initio im-

imperii Elagabali a die VIII. Aprilis anni Ch. 217., Elagabalus quum anno Ch. 219. Romam venit, annum tertium sui imperii numerasset: ac si tum duxisset Corneliam Paullam, eamque retinuisset usque ad Aprilem anni 220. recte cudi ei potuissent nummi anno III. & IV. inscripti. Quum autem dimissa Cornelia sibi Aquiliam Severam adsciverit, atque hac pariter paullo post repudiata ad Anniam Faustinam migraverit, si hanc quoque usque ad Aprilem anni 221. retinuisset, cudi illi pariter potuissent nummi cum anno V. Ab eo autem tempore usque ad Martium anni 222., quo occisus fuit, recte potuisset, tum ipsam Anniam Faustinam repudiare, tum duo alia matrimonia inire, tum denique ad Aquiliam Severam jam dimissam redire.

Quod de Anniae Faustinae, post quintum annum initum, repudio, duobusque aliis matrimoniis, necnon reditu ad Aquiliam Severam dixeram, omnino praeterit Vir. Cl. Primum cogitaveram, eum fortasse contendere potuisse, non bene ex nummis Anniae Faustinae anno V. imperii Elagabali inscriptis deduci, eumdem Elagabalum post quintum annum initum ipsam Anniam Faustinam repudiasse, duoque illa alia matrimonia junxisse, quod forte putaret, eidem Anniae Faustinae, etiam postquam repudiata fuisset, percuti nummos potuisse. Ideo enim pag. 35. docet, nummum Corneliae Paullae, qui anni IV. notam praefert, illi cudi ab Aegyptiis non potuisse, postquam repudiata fuerat ab Elagabalo, quia ipse Elagabalus teste Herodiano quum paullo post eam dimisit, ἰδιωτεύειν κελεύσας, καὶ τῶν τιμῶν παρελόμενος *privatam colere vitam jussit, honoribus etiam* (sic ipse V.C. vertit) *ademtis*. Unde suspicabar, quod, quum haec de Annia Faustina minime scribat Herodianus,

 indi-

indicare forte ea observatione V. C. voluisset, ipsi nummos cudi, tametsi repudiatae, potuisse. At postea memini, illum pag. 87. ex nummo Anniae Faustinae anno v. imperii Elagabali signato probare, ipsum Elagabalum, quinto anno imperii jam inito sibi Anniam Faustinam despondisse. Ceterum videsis supra pag. 160. textum Herodiani, quo Corneliae Paullae repudium describitur, ejusdemque textus ad verbum versionem.

Iis explicatis, addideram pag. 107., recte etiam per nostram conjecturam conciliari inter se posse Dionem & Herodianum quod ad tempus imperii ipsius Elagabali, tametsi prior tradat eum regnasse annos tres, menses novem, & dies quatuor, alter vero sexennium. Dixeram namque Dionem id temporis expresse numerare a praelio cum Macrino die VII. Junii anni Ch. 218. inito, Herodianum vero computasse forte a nece Caracallae, hoc est a die VIII. Aprilis anni 217., a quo tempore usque ad mensem Martium anni 222. quo interfectus Elagabalus, sex anni fluunt Juliani utrimque incompleti.

Haec rejicit V. C. pag. 16. & seqq., aitque, quod si ex quatuor annis Julianis completis, duobusque extremis incompletis id sexennium Herodianus composuisset, annum Julianum 217. jam initum, quum Macrinus regnare coepit, & qui hujus sexennii prior censetur, tamquam plenum numerasset: illumque imperio Macrini minime tribuisset: quum contra Herodianus lib. 5. cap. 2. & 3. Macrinum annum unum regnasse scribat, atque annum hunc, quem Macrino non Elabalo adscribit, non tamquam plenum numeret, sed computet a die XI. Aprilis anni 217., qua electus fuit Imperator, ad mensem Aprilem anni insequentis, nullo respectu habito duorum fere mensium, quos ultra

an-

annum integrum imperio ille praefuit; nam si tamquam plenum eumdem annum numerasset, ac pro uno anno Juliano integro accepisset, annum pariter 218., quo usque ad mensem Junium idem Macrinus regnavit, eumdem in modum computare debuisset, atque ita non unum, sed duos annos illi adscripsisset. Docet vero pag. 91., textum Herodiani, ubi lib. 5. cap. ult. dicitur Elagabalus regnasse **εἰς ἕκτον ἔτος *in sextum annum*** a librariis corruptum fuisse, legendumque esse **εἰς πέμπτον ἔτος *in quintum annum*.**

Enimvero non negamus, Herodianum annum illum, quem Macrinum regnasse tradit, ipsi Macrino re vera adscripsisse. At cur fieri etiam non potuit, ut tempus postea Elagabali consignans, non illud solum numeraverit, quo post Macrinum re vera imperavit, sed & quod per nostram conjecturam sibi ille ipse adrogaverat? Quin si Herodianus annum, quem tribuit Macrino, computavit, ut vult V. C., a mense Aprili anni Ch. 217. ad mensem Aprilem anni 218., neglectis duobus fere mensibus, quos ultra annum integrum imperio praefuit, ac Elagabalo deinde quinque annos, ut ipse pariter contendit, largitus est, profecto & partem anni 218., quam Macrino tribuerat, iterum ipsi Elagabalo adscribit. Neque enim alio modo explicari possunt quinque illi anni, quam quod tam prior, qui coeptus anno 218. jam inito, quam postremus, qui desiit circa medium annum 222, qui sane incompleti, pro Julianis completis, seu integris accepti sint. Rursus annum Julianum 222., quem per ipsum pariter adscribit Herodianus Elagabalo, iterum postea concedit Alexandro, quum regnasse hunc, scribat lib. 6. cap. ult. & lib. 7. cap. 1., ***annos quatuordecim***, qui certe nisi computentur ab anno Ch. 222., prorogabitur Alexandri imperium usque ad annum Ch. 236., quum ceteroqui interfectus fuerit an-

no 235. Praeterea annum 235., quem idem Herodianus adſignavit Alexandro, denuo ſucceſſori Maximino adſcribit: nam lib. 7. cap. 4. loquens de Afrorum a Maximino defectione, quae contigit anno Ch. 237. & quidem ante diem xxvii. Maji, qua Romae Gordiani literae lectae fuerunt, ſcribit eam contigiſſe, *quum compleretur triennale ejus imperium*. Vide quae in hunc Herodiani locum cap. iv. notavimus: ac ſi minus placent, quae de phraſi addidi, qua aliquid compleri dicatur, quum primum etiam advenit, atque inchoatur, quum in eo praeſertim textu, quem ex Act. Apoſt. cap. 2. v. 1. ibi attuli, vulgata noſtra Latina editio, necnon Syrus interpres legant *dies* in numero plurali, adeo ut non quinquageſimus dies a Paſchate, ubi illuxit, compleri dictus ſit, ſed completi eo adventante fuerint dies quinquaginta: hoc ipſum intelligi poterit de triennali imperio Maximini, quod compleri nempe, aut completum etiam, dictum ſit adventante, ac decurrente tertio anno.

Porro Herodianum, ut ad Viri Cl. argumentum redeamus, tempus, quod cuique Imperatorum adſignat, computare per annos integros, eoſque Julianos, certiſſimum puto. Hoc enim non modo apparet ex annis, quos, ut modo vidimus, tribuit Alexandro, ſed ex iis etiam, quos Commodo poſt mortem M. Aurelii concedit. Regnavit namque Commodus poſt M. Aurelium, qui deceſſit die xvii. Martii anni Ch. 180., uſque ad diem ultimum anni 192., ac nihilominus lib. 1. cap. ult., imperaſſe eum, ſcribit, *annos tredecim*: unde priorem annum Ch. 180., qui ceteroqui incompletus, pro Juliano completo ei computavit. Si autem V. C. velit, locum illum Herodiani, quo traditur tempus imperii Elagabali, corruptum fuiſſe a librariis, non pugno: ſic enim lis brevi dirimitur, neque opus amplius eſt,

u

ut illum in concordiam cum Dione redigamus.

Dixeram eadem pag. 107., quod, quum Dio recensens tempus imperii Elagabali, profiteatur, se illud numerare a pugna cum Macrino habita, hoc ideo declarasse, videri poterat, quod alio etiam a tempore, nimirum a Caracallae interitu ejusdem imperii initium repeteretur. At, ut verum fatear, conjectura haec nulla prorsus habenda est, nam, ut recte docet V.C. pag. 36., non alia de caussa Dio id expressisse videtur, quam quia initium imperii Elagabali computari etiam poterat a die xvi. Maji, qua acclamatus is fuerat Imperator. Quae vero ibidem adjecimus de Graecis aliquot Imperatorum catalogis, in quibus Macrinus, tamquam Augustorum albo fuisset exemtus, omittitur, ac de Orosio, qui Elagabali initium constituit anno V. C. 970., qui est Ch. 217., non multum re vera urgeri possunt, quum tum in iis catalogis, tum apud Orosium non pauca menda, errorèsque deprehendantur.

Postquam autem cap. vi. conjecturam nostram, ac quae illi quoquo modo faverent, exposuissem, nonnulla, quae adversari eidem posse videbantur, mihi ipse cap vii. objeci. Ac primum duos nummos Elagabali apud Occonem exstare, animadverti, qui, quum inscripti sint: *TR. P. COS. II.*, cum Consulatu utique secundo Elagabali, qui initus Cal. Jan. anni Ch. 219., junctam exhibent Trib. Pot. sine numero, quae si prima, manifestum est, hujus initium neutiquam sumi a morte Caracallae, seu a mense Aprili anni Ch. 217. nam si inde desumtum fuisset, Cal. Jan. anni 219. Elagabalus inscribi debuisset TR. P. II. His respondi, falsum esse Trib. Pot. sine numero semper Trib. Pot. primam significare: idque ostendi ex tribus nummis ejusdem Elagabali inscriptis: *TR. P. COS. III.*, aliisque aliorum Imperatorum.

Cl. Vignolius tamen pag. 40. contendit, eos nummos, in quibus Elagabalus dicitur *TR. P. COS. II.* perquam ſtrenue fortiterque cum noſtro ipſo ſyſtemate depugnare. Nam quamvis, inquit, Trib. Pot. non numerata non ſemper primam deſignet, neque tamen dici poteſt, eamdem pro prima nunqam eſſe accipiendam. Ad dignoſcendum autem, quandonam Trib.Pot. non numerata pro prima habenda ſit, ac quando non habenda, regulam hanc pag. 41. tradit, quod *prima tum utique reputanda eſt, quum vel Conſulatus, vel Imperii numerus, vel aliquod aliud forte non adſit, quod aliquo pacto ei repugnet. Contra vero ſi cum numero eodem Conſulatus vel Imperii, vel cum alio certi temporis indicio jungatur, tum referenda eſt ad annum illum, cui primo ea ipſa indicia competunt*. Hinc vero infert, quod, quum in iis nummis Elagabali nihil ſit, quod ipſi Trib. Pot. primae repugnet, haec pro prima habenda ſit.

An haec tam ſtrenue, ac tam fortiter cum noſtro ſyſtemate depugnant? I. certum illud eſt, quod Tr. Pot. prima, ſeu primus annus Tr.Pot. ſemper effertur ſine numero. II. certum pariter, ceteros annos Trib.Pot., licet plerumque per ſuos numeros exprimantur, aliquando tamen nec raro efferri ſine numero: ac videre eſt apud Mediob. in Hadriano, quod licet hic Imperator Trib. Pot. XXI. inſtauraverit, in ejus tamen nummis ſemper ſignatur TR. P. ſine numero. III. ex quo non ſolum primus, ſed & ceteri quandoque anni Trib. Pot. ſine numero efferuntur, ſequitur, quod, quum Tribunitia Poteſtas in nummis viſitur ſine numero, nec ex aliquo adjecto ſive Conſulatus, ſive Imperii charactere conſtat, eſſe determinate primam, aut ſecundam, aut tertiam &c., aeque eſſe poteſt prima, aut ſecunda, aut tertia &c. IV. ex quo, quum Trib.Pot. viſitur ſine numero, nec ex aliquo adjecto charactere conſtat,

eſſe

esse determinate primam, aut secundam, aut tertiam &c., esse aeque potest prima, aut secunda, aut tertia &c., iterum sequitur, affirmari a nemine posse, eam esse potius primam, quam secundam, aut tertiam &c. V. ex quo, quum Trib. Pot. sine numero, modo nunc laudato, visitur, affirmari nequit, eam esse potius primam, quam secundam, aut tertiam &c., pariter fit, eamdem nemini tamquam primam, aut secundam, aut tertiam determinate objici posse.

Aliam, eamque graviorem difficultatem mihi proposueram pag. 112. ex nummo, quem refert Mediobarbus pag. 312., inscripto: *P. M. TR. P. II. COS. III. LIBERAL. AVG. S. C.* Consulatum III. suscepit Elagabalus Cal. Jan. anni Ch. 220., hinc si cum illo juncta est Trib. Pot. II., hujus initium minime petitur a morte Caracallae, nam tum signata saltem fuisset TR. P. III. Quum hunc nummum laudet Mediobarbus ex Angelonio, Angelonium ipsum consului, deprehendique, quod, quamvis in tabula nummorum hujus Imperatoris num. III. nummum, prout memoratur a Mediobarbo, exhibeat, in Commentariis tamen non eo modo epigraphen legit, sed sic: *P. M. TR. P. II. COS. II.*, atque hanc epigraphen dixi nullo pacto nostro systemati repugnare. Verum Cl. Vignolius pag. 46., verbis Angelonii ex duplici libri ejus editione, allatis, ostendit, in priori editione, quam ipse Angelonius curavit, vere legi: *P. M. TR. P. II. COS. III.*, quamvis in posteriori a Bellorio recognita & illustrata legatur: *TR. P. II. COS. II.*, diditque pag. 48. nummum, ei quem profert Angelonius, plane similem, quem Romae possideri ait a Fr. Antonio Maria Remedio Monacho Carthusiano. De hac, quae sane omnium potissima, difficultate postremo capite agemus: ac quum alia quoque contra idem nostrum

ſtrum ſyſtema poſt Cl. Vignolium ab Illuſtriſs. Adriae Praeſule objecta ſint, ſequenti haec capite exponemus.

CAPUT XVII.

Congiaria Elagabali inſcripta TR. P. II. COS. II. non pugnant cum noſtra conjectura. Typus Fortunae Reducis non ſemper Adventum Imperatorum deſignat. Argumentum ex nummis, qui ad nos non pervenerunt, fallax. Elagabalus non ſolum Macrinum imperii raptorem declaravit, ſed & ipſe Antonini Caracallae filius, & imperii ſucceſſor a militibus declaratus. In argumento, quo probatur, Elagabalum tempus imperii Macrini ſibi adſcripſiſſe, ex eo, quod Conſulatum ipſius Macrini ſibi adrogavit, petitio principii nulla. Nummus Corneliae Paullae cum L. Γ., *in quo Imp. eques Pacificatoris habitu, Vaillantio viſus, neque credibile, hunc in ejus nummi deſcriptione deceptum fuiſſe. Ratio, qua ab Ill. a Turre explicantur nummi Corneliae Paullae cum* L. Γ. *&* L. Δ., *necnon Anniae Fauſtinae & Aquiliae Severae cum* L. E., *commentitia. Herodianus utitur annis Julianis utrimque incompletis. Comparatio inter noſtram conjecturam, & utramque ab Illuſtriſs. a Turre propoſitam.*

Illuſtriſſimus a Turre in Diſſert. de Annis imperii Elagabali cap. 1., quamvis nullum noſtro commodius ſyſtema, quo difficultates omnes, quae in hac controverſia occurrunt, penitus exhauriantur, excogitari, poſſe fateatur, illud tamen, quo ſuum, quod in Italica epiſtola propoſuerat, tueretur, pluribus nititur refutare. Ac quidem, quum occaſione nummi Elagabali ab Angelonio exhibiti, de quo in

in fine capitis praecedentis, nummos aliquot ejusdem Imperatoris ex Occone, & Mediobarbo laudatem, quorum alii inscripti: *LIB. AVG. P. M. TR. P. II. COS. II.*, alii vero: *LIB. AVG. II. P. M. TR. P. II. COS. II.*, hos nostrum ipsum systema prorsus labefactare contendit. Postquam enim erudite, ac satis accurate ostendisset, Elagabalum nonnisi circa initium mensis Julii anni Ch. 219. Romam Nicomedia venisse, docet pag. 8., nummos illos Congiaria Elagabali praeferentes post ejus ad Urbem adventum percussos fuisse; ac priores quidem inscriptos: *LIB. AVG. P. M. TR. P. II. COS. II.*, referendos cum Vaillantio esse ait ad Congiarium, quod populo dedit, ubi Romam ingressus est, de quo Herodianus lib. v. cap. 5., alios vero inscriptos: *LIBER AVG. II. P. M. TR. P. II. COS. II.*, pertinere, cum eodem Vaillantio affirmat, ad Congiarium datum ob nuptias cum Cornelia Paulla, de quo Xiphilinus. Quare infert, quod quum nummi illi cusi sint, postquam Elagabalus circa initium mensis Julii, aut saltem post mensem, ut saepe ego dixeram, Aprilem anni Ch. 119. Romam venit, ferantque dumtaxat Trib. Pot. II., hujus initium peti non possit a mense Aprili anni 217., nam sic tunc praetulissent Tribunitiam Pot. III.

Argumentationis hujus cardo circa id haud dubie vertitur, num revera illi nummi ad Congiaria, quae populo Romae, aut ob susceptum imperium, aut ob nuptias cum Cornelia Paulla, distribuit Elagabalus, sint, quemadmodum sentit Vaillantius, referendi. At unde habet Vaillantius, eos nummos ad haec Congiaria pertinuisse? Notum est, *Liberalitatis* nomine in nummis non solum Congiaria, quae populo, sed & donativa, quae exercitui in bello dispensabantur, designari. Cur ergo ad aliqua hoc genus donativa, quae

Nicomediae, quum Cal. Jan. anni Ch. 219. Consulatum II. iniit, ac dein quum seditiones turbaeque in Bythinia obortae comprimendae ei fuere, dedisse militibus Elagabalum non inverisimile, spectare eae Liberalitates non potuere? Fateor equidem, horum donativorum Historicos non meminisse, meminisse vero Congiarii, quod, quum Romam venit, ac Corneliam Paullam duxit, distribuit: sed notum pariter est, non omnia a Scriptoribus commemorari; & ad haec Congiaria, ac donativa quod adtinet, persaepe Antiquarii ipsi observant, Historicorum de illis silentium a nummis, in quibus eadem repraesentantur, non raro suppleri. Quin Herodianus lib. 5. cap. 5. de Maesa avia Elagabali, antequam hic Imperator acclamatus fuisset, haec habet: *Porro etiam acervos habere nummorum Maesa dicebatur, facileque omnes militibus elargitura, si modo imperium suae soboli restitueretur*. Et initio cap. 6. *Quae ubi nunciata Macrino sunt Antiochiae moranti, edito per exercitus rumore, repertum Antonini filium, pecunias militibus elargiri Juliae sororem &c.* Et paullo post: *Ut autem eo pervenit Julianus statim inclusi milites. . . vociferari Antonini filium: sacculos quoque nummorum plenos, escam scilicet proditionis attollere*. Mirum autem prorsus videretur, si quum postea ad imperium a militibus earum largitionum spe illectis evectus fuit, nullum iis donativum dedisse, nisi postquam jam Romam venisset. Ut itaque Praesul Cl. demonstraret, eos nummos ad Congiaria Romae distributa referendos esse, ostendi omnino oportuerat, aut nullas antea ab Elagabalo Consulatu II. jam inito factas fuisse militibus largitiones, aut ad has nullo modo eosdem nummos spectare potuisse.

Non absimili vitio laborat alterum argumentum, quod sumit pag. 9. ex nummis Elagabali, qui typum prea-

praeferunt Fortunae Reducis cum inscriptione: *P. M. TR. P. II. COS. II.* Neque enim verum est, typum Fortunae reducis, quo mulier repraesentatur dextra temonem, sinistra cornucopiae gerens, tunc tantum monumentis consignasse Romanos, quum Imperator primum in Urbem adventabat, vel absoluta expeditione aliqua incolumis redibat. Siquidem Fortunae Reduci pariter sacrificabant Romani, quum Imperator ad aliquam expeditionem proficiscebatur, aut longum aliquod iter suscepturus erat: ac sacrificabant praeterea, quum Urbe eodem absente, optabant, ut veniret, aut reverteretur, faustumque ei iter adprecabantur. De profectione haec habet Pagius ad an. Ch. 163. num. v., postquam laudasset nummum L. Veri inscriptum: *TR. P. III. COS. II. FORT. RED.* *Fortunae Reduci sacrificatum, quum ad aliquam expeditionem, aut longum aliquod iter suscipiebant.* Legantur quae habet idem Pagius ad annum 169. num. III., necnon quae Mediobarbus pag. 237. in nummum L. Veri inscriptum: *TR. P. VIII. IMP. V. COS. III. FORT. RED.* De votis vero, quae pro Imperatorum reditu fiebant, sic idem Mediobarbus pag. 276. postquam retulisset nummum Severi in priori parte inscriptum: *SEVERVS AVG. P. M. TR. P. XI. COS. III.*, in posteriori vero: *FORTVNA REDVX.*, ait: *Herodianus post Plautiani mortem scribit:* Ceterum Severus duobus posthac Praefectis militaribus constitutis, plurimum in suburbanis, ac circum Campaniae oras agitabat, jus dicens, ac civilibus negotiis intentus &c. *Unde nummus hic cusus videri potest a S. P. Q. R. dum eum reducem cupientes Reduci Fortunae sacrificarunt.* Pagius vero ad an. 211. quum recitasset nummum Severi in aversa parte inscriptum: *FORTVNA RED. P. M. TR. P. XIX. COS. III. P. P.*, ac notasset eum

Aa 2 Im-

Imperatorem Trib. Pot. XIX. vere non attigisse, docet eum nummum, ut & alios, qui apud Mediobarbum, post ejus mortem cusos fuisse, dum vivus adhuc crederetur, *& sacrificia pro felici ejus reditu offerrentur*. Exstat etiam apud eumdem Mediobarbum pag. 238. nummus L. Veri inscriptus: *TR. P. VIIII. IMP. V. COS. III. FORT. RED.* L. Verus, quum anno Ch. 268. decurrente ejus Tribunitia Pot. VIII. secundum Pagium contra Marcomannos profectus fuisset, anno insequenti 269. decurrente ejus Tribunitia Pot. VIIII. Romam ob pestem, quae grassabatur, redire coactus fuit, ac in itinere apud Altinum exeunte mense Decembri apoplexi correptus interiit. Non ergo tum Fortunae Reduci sacrificatum, neque nummus ille percussus, ob illius in Urbem reditum, sed pro ejus tantummodo reditu. Quidni ergo & pro Elagabalo sacra fieri Fortunae Reduci, nummique ejusdem Fortunae typo inscribi a Romanis potuere, quo vota illi sua significarent, faustumque eidem iter adprecarentur?

Addit pag. 9. nostrum systema esse prorsus incredibile: nam si Elagabalus, inquit, numerasset Trib. Pot. a die VIII. Aprilis an. V. C. 970. Ch. 217,, illamque instaurasset eadem die in annis subsequentibus, cogeremur dicere, nullum numisma cum notis Consulatus, & Tribunitiae ejus Potestatis percussum fuisse per septem & viginti menses ejus imperii: vel certe nullum ex iis in hoc temporis intervallo cum iis notis conflatum ad nos pervenisse; quum nusquam in universa rei nummariae penu reperiatur vel unum numisma, quod exhibeat conjunctam Trib. Pot. III. cum Consulatu II. inito Cal. Jan. an. Ch. 219., vel IIII. & V. cum Consulatu III., inito Cal. Jan. anni 220., quo inscribebatur etiam anno 221., quum Consulatum quartum non susceperit nisi Cal. Jan. anni 222.

Non

Non moramur, extare apud Mediobarbum pag. 313. nummos, in quibus juncta visitur Trib. Pot. IIII. cum Consulatu III., atque hos juxta nostrum systema dici posse cusos intra mensem Aprilem anni Ch. 220., & anni 221., fatemur quippe, vel hoc non obstante difficultatem hanc non exiguam molestiam systemati nostro creare. Verum, quum argumenta, quae ex nummis petuntur, qui ad nostram notitiam non pervenerunt, incerta nonnunquam fallaciaque sint, quemadmodum supra etiam pag. 123. observavimus; hinc in gravioris alterius difficultatis gratiam, quae ex nummis oritur, qui re ipsa ad nos pervenere, cujusmodi sunt ipsi nummi Elagabali Trib. Pot. V. inscripti, & nummi Anniae Faustinae, & Aquiliae Severae anno v. imperii ejusdem Elagabali obsignati, aliquid indulgendum esse arbitramur; adeo ut, si aliqua verisimili ceteroqui conjectura satis graviori ei difficultati occurratur, non multum caussari debeamus, si minori cuipiam incommodo eadem obnoxia deprehendatur: praesertim quum & quae ab ipso Cl. Praesule allatae sunt conjecturae suis minime incommodis careant.

His adductis cap. I., in examen cap. II. revocat, quae ad nostrum systema suadendum cap. VI. tradideram. Ac primum ad illud, quod ex Dione, ut supra pag. 166. notaveram, Elagabalum in literis ad Senatum missis Macrinum tamquam imperii raptorem traduxisse: reponit pag. 14. tempus eorum, qui imperium vi & per nefas rapuerunt, successoribus minime adscribi consuevisse, atque in hanc rem affert exempla Othonis, Vitellii, Didii Juliani, & Maximini, qui licet imperium rapuissent, tempus tamen, quod in imperio ii exegerant, successores nequaquam sibi vindicarunt. At nemo est, qui non videat, quam diversa, atque abs re aliena ejusmodi exempla sint, quum nemo

mo

mo eorum, qui imperium post eos susceperunt, *filius successorque* illorum, quibus vita antea, aut imperium ereptum fuerat, declaratus, quemadmodum Elagabalus, fuerit, nec aut a militibus, aut a Senatu hoc nomine, uti re vera idem Elagabalus, imperio donatus.

Ad factum Elagabali, quo, ut supra pag. 167., observaveram eum Macrini Consulatum sibi adscripsisse, dixeramque, id juxta nostram conjecturam recte explicari: respondet pag. 16., me hac in re falsa argumentatione, quam petitionem principii vocant, usum fuisse; nam ex quo Elagabalus ad se pertinere Macrini imperium putabat, ait, me inferre ad Consulatum: quod sane falsum, quum contra potius ex quo Elagabalus Consulatum Macrini anni Ch. 218. sibi adrogavit, quod ex Dione & Fastis constat, ad imperium anni praecedentis 217., de quo est quaestio, intulerim; quatenus nimirum, ut frequentissime similibus in rebus fit, illud ex hoc probe consequi atque explicari ostendi.

Transit pag. 17. ad argumentum, quod ego erueram ex nummo Corneliae Paullae, quem ex museo Mauroceno laudat Vaillantius, notato L. Γ. anno 111., ac in quo visitur, ut diserte habet, idem Vaillantius *Imperator eques pacificatoris habitu*, de quo argumento vide supra pag. 171. & seqq. Ostendit autem in primis laudata pag. 17. & seqq., in nummo, quem ex museo D. Theupoli occasione illius, qui apud Vaillantium produxeram, eidemque similem utcumque minus castigate vocaveram, Imperatorem *habitu pacificatoris* minime, quod equidem verum, exhiberi: aitque pag. 21., nummum, quem refert Vaillantius ex museo Mauroceno perperam ab ipso Vaillantio describi; nam Patinus, inquit, qui illud ipsum museum tractavit, atque ejus nu-

numiſmata omnia ſingulari libro nobis deſcripta reliquit, quum nummum Corneliae Paullae profert pag. 132., nil quidem de *Pacificatoris habitu*, ſed haec tantummodo verba habet: *Imperator eques*. Quare, ſubjicit, Vaillantius de ſuo *Pacificatorem* addidit, non viſo nummo: vel ſi illum fortaſſe vidit certe deceptus eſt, ut conſtat ex typo muſei Theupoliani.

Quod ait Praeſul Cl., Vaillantium nummum, de quo agimus, non vidiſſe, refellitur manifeſte ab ipſo Vaillantio, qui in Praefatione num. 111. teſtatur, nullos ſe nummos deſcripſiſſe, quos non ipſe manibus ſuis contrectaſſet. *Potuiſſem*, inquit, *nihilominus longe ampliorem hic ſeriem texere*, ... *ſed intelligebam ſane, quam proclive eſſet ab aliis in errorem induci, qui non tam vident, quam ſe vidiſſe putant. Quare firmus in ea ſententia perſtiti, nullos ut deſcriberem nummos, quos non ipſe meis manibus contrectaſſem, certus nec falli, nec fallere*. Quod vero nummo viſo idem Vaillantius deceptus ſit, ac *Imperatorem equitem, nudum, dextra globum, ſiniſtra ſcipionem geſtantem*, qualis cernitur in nummo D. Theupoli, pro *Imperatore* acceperit, qui *habitu pacificatoris* repraeſentetur, incredibile prorſus exiſtimandum, quum praeſertim tot ipſe nummos tractaſſet, ac in nummis, cum aereis, tum aureis, & argenteis deſcripſiſſet, in quibus idem pacificatoris habitus exprimebatur. Ac licet Patinus nummum illum recenſens habeat tantum: *Imperator eques*: haec tamen deſcriptio non pugnat cum deſcriptione, quam habet Vaillantius, in qua pariter eſt *Imperator eques*; neque mirum videri debet, quod non omnia idem Patinus, uti Vaillantius, expreſſerit; nam hoc ipſum fateatur Praeſul Cl., neceſſe eſt, dum putat, eum nummum ejuſdem eſſe typi, ac nummus D. Theupoli, in quo non eſt tantum *Imperator eques*, ſed *nudus* praeterea, *ac dextra globum, & ſiniſtra ſcipionem gerens*. Poſt

Post haec cap. III. agit Praesul Ill. de variis Elagabali matrimoniis: ac quo occurreret difficultatibus, nummisque cum Corneliae Paullae inscriptis *anno* IV. tum Anniae Faustinae, & Aquiliae Severae notatis *anno* V., quos nonnisi per nostram conjecturam explicari posse, ut supra pag....., ostenderam, ad eorum sententiam confugit, qui Aegyptios putarunt annos Imperatorum non a die initi imperii, uti apud Romanos mos erat, numerasse, sed a neomenia Thoth fixi, hoc est a die XXIX. Augusti: ita ut si quis paucis etiam aliquot mensibus, aut diebus ante eam diem salutatus fuisset Imperator, id tempus pro integro anno computaretur. Sic autem juxta hanc opinionem matrimonia Elagabali satis apte & idonee collocari posse pag. 39. & seqq. existimat. Advenit Elagabalus Romam mense Julio an. Ch. 219., atque intra hunc annum puta mense Novembri duxit Corneliam Paullam. Huic nummos cuderunt Aegyptii cum anno III. Elagabali, qui coeperat die XXIX Augusti ejusdem anni 219. Eam retinuerit usque ad mensem Septembrem anni insequentis 220., quod tempus ὀλιγὸν *breve* dici potuit ab Herodiano: ac quum jam coeptus tunc esset annus IV. Elagabali, recte cudi illi potuerunt etiam nummi cum eodem anno IV. Dimissa Cornelia Paulla, Aquiliam Severam sibi junxit: eaque etiam paullo post abdicata, tertiam duxit, videlicet Anniam Faustinam. Hanc retinuerit usque ad exitum mensis Augusti, vel initium Septembris anni Ch. 221., potuerunt ejus nummi signari anno V. Elagabali. Ab eo autem mense Septembri ad Martium anni 222., quo Elagabalus occisus, recte duas alias uxores potuit sibi adsciscere, & demum ad Aquiliam Severam redire. Non negaverim sat commode, vel hunc in modum plura illa matrimonia Elagabali explicari: at supra a nobis cap. XIV. jam

jam late ostensum, morem illum annos Imperatorum computandi, qui Ægyptiis hic a Cl. Praesule tribuitur, plane commentitium esse, ac Pagium, qui semel ad annum Ch. 69. num. III. eum probaverat, alibi postea tanquam ratione omni, ac fundamento destitutum repudiasse.

Cap. IV. expendit, quae sub finem cap. VI. adduxeram: ac quod de Herodiano, ut supra pag. 178., dixeram, eum *sexennium*, quod imperio Elagabali tribuit, forte numerasse a die VIII. Aprilis anni Ch. 217., a quo tempore ad mensem Martium anni 222. sex anni fluunt Juliani utrimque incompleti, triplici ratione pag. 44. evertere studet. Prima est, quod sic annum illum, quem Macrinum regnasse scribit, Herodianus modo ipsi Macrino, modo Elagabalo adscripsisset. Secunda, quod in annis superiorum Principum nequaquam utitur ejusmodi annis utrimque incompletis, & affert exemplum cum Severi, tum Caracallae, quod tamen postremum, nobis prorsus, ut videbimus, favet. Tertia, quod Herodianus unum annum tantummodo imputat Macrino, ac si usus fuisset annis utrimque incompletis, ei tribuisset duos annos, quum regnaverit a die XI. Aprilis anni 217. ad diem VII. Junii anni 218. Addit, locum illum Herodiani, quo *sexennium* Elagabalo tribuitur, a librariis vitiatum fuisse, atque, loco εἰς ἕκτον ἔτος *in sextum annum*, legendum esse, non quidem ut vult Cl. Vignolius εἰς πέμπτον ἔτος *in quintum annum*, sed εἰς τέταρτον ἔτος *in quartum annum*.

Quod ad priorem rationem pertinet, jam supra pag. 180. ostendi, Herodianum tempus Imperatorum per annos integros, eosque Julianos numerasse: nec novum esse, illum annum quempiam, quem uni Imperatori tribuerat, rursus alteri, quamquam hac de re nos

minime praemoneat, adſcripſiſſe. Exemplis, quae ex annis Alexandri, & Commodi eo loci attuli, addi hic alterum poteſt ex annis, quos idem Herodianus libro 4. cap. 13. Caracallam poſt Severi & fratris Getae mortem imperaſſe tradit. πᾶς δὲ ὁ χρόνος ἐν ᾧ μόνος ἐβασίλευσεν ἄνευ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ ἀδελφοῦ, ἐν ἓξ ἔτεσι συνετελέσθη. *Totum autem tempus, quo ſolus regnavit, ſine patre, & fratre, ſex annis abſolutum eſt.* Licet Severus obierit die IV. Februarii anni Ch. 211., Geta tamen non interiit niſi menſe Februario, aut Martio anni 212. Quare ut ſexennium hoc, quo ſolus ac poſt mortem utriuſque geſſit imperium, conſtet, neceſſe eſt, ut illud numeraverit a dicto anno 212. ad annum 217., quem tamen totum tribuit etiam Macrino. Quod ad ſecundum, ex annis, quos Herodianus tribuit Alexandro, & Caracallae, ut modo viſum, poſt mortem Getae, patet, eum uſum re vera fuiſſe annis utrimque incompletis, quod obſervatum quoque fuit Pagio ad ann. Ch. 236. num. V. Commodo etiam poſt mortem M. Aurelii tribuit annos tredecim, quorum tamen prior, ut ſupra diximus pag. . . . nonniſi incompletus fuit. Quod denique ad tertium, licet, ut modo oſtendimus, Herodianus annos incompletos pro completis accipiat, aliquando tamen poſtremum annum incompletum nullo modo computat, ut patet in Severo, cui lib. 3. cap. ult. tribuit annos *duodeviginti*, numerandos ab anno Ch. 193., quo jam inito imperium ſuſcepit, ad annum 210., quamvis annum etiam 211. delibaſſet, quum die IV. Februarii ejuſdem anni fato functus ſit: unde licet primum annum incompletum pro completo acceperit, poſtremum tamen annum incompletum omnino praetermiſit. Ceterum, ſi ipſe quoque locum illum Herodiani a librariis depravatum fuiſſe contendat, jam,

ut

ut supra pag. 180. monui, quaestio brevi sublata est, nec nobis amplius studendum, ut illum cum Dione conciliemus.

Quae subinde eodem cap. de Dione, Graecis aliquot Imperatorum catalogis, ac Orosio, quos nostro systemati favere dixeram, habet Praesul Ill., hic ego non persequar: tum quod, ut supra pag. 181. re vera fatear, illis minime esse insistendum; tum etiam, quod vel sine eorum praesidio conjecturam nostram satis probabilem, ac multo sane verisimiliorem, quam quae ab ipso Cl. Praesule propositae sunt, esse censeam. Quod enim ad priorem ejus conjecturam, de qua supra cap. XI I., quod nimirum Elagabalus, quemadmodum Macrini Consulatum, initum Cal. Jan. an. Ch. 218., sibi, postquam mense Junio potestatem omnem adeptus fuerat, vindicaverat, ita quoque ab iisdem Calendis imperii sui initium desumere voluerit, ut unum, idemque esset consulatus & imperii principium; jam ostendi, nihil inter duo illa rei esse, quo unum ex alio consequeretur, finemque illum consulatus & imperii initia conjugendi, inanem prorsus demonstravi, quum nullum inde commodum, aut emolumentum percipere Elagabalus potuisset. At pro nostra conjectura verum fundamentum adest, veraque, unum ex alio verisimiliter inferendi ratio elucet: nam re vera Elagabalus Antonini Caracallae filium se jactitabat, inscribebatque: hoc nomine milites eum elegerant, ac, quod caput est, non Antonini modo filium, sed & ejus in imperio successorem iidem milites declaraverant. Finis autem, quem sibi, in imperii sui initio a morte ipsius Antonini Caracallae deducendo, praestituere poterat, non omnino vanus fuisset: nam sic jura sua ad imperium post mortem ejusdem Caracallae, quae milites, faustusque ipse exitus probaverat, ostentasset. Hinc imperii usur-

patorem, raptorem Macrinum vocare potuit, potuit ejus nomen e marmoribus, in quibus Imperatoris & Augusti tituli ei tribuebantur, expungere, ac consulatum ipsum, quem idem Macrinus imperii suscepti ratione inierat, sibi adrogare. Per eamdem Praesulis Cl. conjecturam difficultates, quae in hac controversia ex variis Elagabali matrimoniis, nummisque Aegyptiacis Corneliae Paullae, Aquiliae Severae, & Anniae Faustinae oriuntur, minime explicantur: atque, ut illis quoquo modo occurrat, ad aliam conjecturam de annis Imperatorum diversa ratione ab Aegyptiis atque a Romanis computatis, de qua supra cap. XIV., confugiat, necesse est, quae minus certe probabilis, ac quae ab illis ipsis, quibus semel probata fuerat, rejecta postea fuit, & abdicata. Contra vero per nostram conjecturam difficultates omnes, quae hac in re deprehenduntur, probe, ut vel ipse Praesul Cl. fatetur, explicantur, exhauriunturque.

Idem apparet de altera conjectura in *Addendis* proposita, quod nempe in textu Xiphilini pro *die* XVI. *Maji* legendum sit *die* XVI. *Martii*. Supra enim cap. XIII. ostendi, nullum adesse fundamentum, cur eum in locum mendum illud irrepsisse suspicemur, quum, quae ab Historicis ab Elagabali acclamatione ad diem habitae cum Macrino pugnae gesta narrantur, recte fieri potuerint intra dies XXIII., ac Graeci Scriptores, qui quatuor annis regnasse Elagabalum tradunt, id tempus non ab illius acclamatione, sed a morte Macrini re vera computaverint. Ac quoniam neque per hanc conjecturam explicari queunt difficultates, quae ex variis Elagabali matrimoniis, nummisque Aegyptiacis ejus uxorum proficiscuntur, hinc illi iterum ad eas expediendas opus est, ut in subsidium eamdem modo laudatam conjecturam de singula-

gula-

gulari ratione annos Imperatorum in nummis Aegyptiacis notatos computandi, advocet, quam omni pariter fundamento carere jam ostendimus.

Haec autem quum aestate anni superioris scripsissem, ac paullisper eadem quiescere, ad alia vocatus jussissem, novo, eoque pereximio Cl. Vignolii opere controversia haec nostra locupletata est, *Dissertatione* nimirum *II. Apologetica De Anno primo imperii Severi Alexandri Aug.* Hac potissimum Programma Cycli Paschalis S. Hippolyti denuo exponit; ac quo illud cum sua de tempore necis Elagabali & natali imperii Alexandri opinione conciliet, novam, atque aliam prorsus ab ea, quam in priori Dissertatione tradiderat, ac de qua supra cap. II., proponit interpretationem. Quin suam ipsam de imperii cum Elagabali tum Alexandri aetate sententiam aliquanto immutat, nonnulla pro hac magis firmanda adjicit, prioremque suam Dissertationem ab iis, quae ab Illustriss. a Turre objecta illi fuerant, vindicare satagit. Horum aliqua, quae ad rem nostram propius spectare videbuntur, delibare pariter liceat, atque in examen revocare.

CAPUT XVIII.

Nova Cl. Vignolii Dissertatio, in qua priorem suam sententiam de die mortis Elagabali, & Alexandri aliquanto immutat. Nunc Elagabalum occisum tradit ante Calendas Julias anno Ch. 222., Alexandrum vero non ante initium Octobris anni 235. Bellum Persicum nullo modo gestum ab Alexandro postremo anno sui imperii, sed potius anno Christi 232. Regula a Viro Cl. tradita, de anno Juliano, quem Herodianus antecessori, aut successori

tri-

tribuit, falsa. Annus quoque nuptiarum Anniae Faustinae, necnon Corneliae Paullae, & Aquiliae Severae ab eo mutatus. Sententiam nunc primum adsciscit, de annis Imperatorum ab Aegyptiis a neomenia Thoth fixi numeratis.

STatuerat in priori Dissertatione Cl. Vignolius, Elagabalum circa diem XI. Julii anni Ch. 222. interemtum fuisse, Alexandrum vero circa diem XX. ejusdem mensis anni Ch. 235. Nunc autem utrumque terminum submovet, aliosque collocat. Elagabalum exstinctum docet ante Cal. Julias ejus anni 222., Alexandrum vero non ante initium Septembris, imo nec ante initium Octobris anni 235.

Prius colligit pag. 115. ex eo, quod Herodianus Alexandri imperio annos quatuordecim tribuit, numerandos quidem, ut nos quoque supra pag. 179. diximus, a Cal. Jan. anni 222., quo occisus fuit Elagabalus: contenditque V.C., annum hunc 222. ideo totum Alexandro ab ipso Herodiano imputari, quod *annum, quo Imperator aliquis ante Cal. Julias obiit, successori tribuere*, soleat. Hinc locum ejusdem Herodiani, in quo Elagabalus imperium *in sextum annum* produxisse dicitur, non amplius pag. 100. corrigendum censet, ut in priori Dissert. *in quintum annum*, sed *in quartum annum*, quum annum Julianum 222., quo ante Cal. Julias Elagabalus interiit, uti primum Alexandri idem Herodianus enumeret. Sic etiam ubi apud ipsum Herodianum lib. 7. cap. 4. legitur, Afros a Maximino defecisse συμπληρωμένης αὐτῷ τριετοῦς βασιλείας, *exacto*, vertit cum Politiano, *imperii triennio*, legi jubet pag. 101. pro τριετοῦς διετοῦς, quum annum Julianum 235. tamquam decimum quartum Alexandri *post Cal. Julias*, inquit, *interfecti* jam Herodianus numeraf-

rasset. Hinc etiam argumentum, quo in priori Dissertatione ex nummo max. mod. Anniae Faustinae a Laodicensibus percusso, & ex tempore quo ludi Olympii celebrabantur, probaverat Elagabalum nonnisi aestate anni Ch. 222. e vivis excessisse, de quo supra cap. IX., sponte nunc pag. 116. deserit, aitque, Olympia illa certamina eo nummo indicata ad solstitium aestivum anni superioris anni 221. esse referenda.

Alterum vero de diuturniori imperio Alexandri probat pag. 102. & seqq. ex eodem Herodiano, qui lib. 6. cap. 5. *aestate anni Ch. 235.*, ait V. C., *Alexandrum per montes Armeniae exercitum* adversus Persas *ducentem* exhibet, ac dein bello Persico confecto Antiochiam rediisse, atque hinc in Germaniam contendisse eum narrat. *Quo fit*, infert, *ut Alexander, etiam si aestatis initio in montibus Armeniae dicatur fuisse, neque tamen ANTE INITIUM SEPTEMB. in Germania interfici a Maximino potuerit: praesertim quum non statim atque illuc pervenerat, sed post dies plurimos mortem ipsius evenisse Herodianus referat: imo si Lampridio* (addi his jubet in *Corrigendis*) *credi potius debeat, qui die* VII. *Cal. Octobris ejusdem anni Romae illum maximum ac splendidissimum de Persis triumphum agentem (cujus tamen nullum in nummis indicium exstat) atque inde post laetas senatus acclamationes in Germaniam proficiscentem repraesentat, neque ANTE OCTOBRIS INITIUM mors ejus poterit consignari.* Hinc quod in priori Dissert. dixerat, Alexandrum eodem anni tempore declaratum fuisse Imperatorem, quo fuit a Maximino interfectus, falsum esse in praesens fatetur, falsumque proinde esse, ait quod tradunt Lampridius, Eutropius, aliique veteres Scriptores, eumdem Alexandrum annos tredecim & dies octo, vel novem in imperio vixisse.

Haec si ita sunt, jam argumenta illa, quibus in

prio-

priori Dissertatione probaverat, Alexandrum aestivo tempore necatum fuisse, nihili vel ipsius judicio facienda. Falsum itaque quod pag. 78. dixerat, quod si alio ab aestivo tempore Alexandri mors evenisset, *credi vix posset, aut ne vix quidem, milites, ipsasque Principis excubias, atque adeo cunctos in tentoriis degentes post convivium somno ita obrutos fuisse, ut prodi tentoria potuerint*. Falsum iterum quod eadem pag. de pulvere equorum pedibus excitato docet, dum *mane*, inquit, *atque adeo hora diei prima alia anni parte quam aestiva pulverem equorum pedibus excitari posse in Germania praesertim, ubi hoc accidit, quis tam credulus ut vel jurato haec narranti fidem habeat?* Falsum denique quod pag. 80. de Maximino, qui quum diurno tempore dum quiesceret interfectus fuerit, *id alio tempore quam aestivo vix dici de eo potuisse*, affirmat.

Porro quaecumque contra priorem illius de tempore necis Alexandri opinionem a nobis allata sunt, posteriorem hanc etiam prorsus evertunt. Si enim differri nequit ejus mors usque in diem xx. Julii anni Ch. 235., multo minus prorogari poterit usque in initium Octobris. Imo quum ex hac mortis Alexandri usque in initium Octobris dilatione consequatur quoque dilatio mortis Maximini in mensem Octobrem anni 238., mors pariter Maximi & Balbini non ante medium Decembrem ejusdem anni 238. consignari ab eo poterit, uti mors Gordiani Pii non ante medium Decembrem anni 244., & mors Philippi non ante medium Decembrem anni 249. Praeter autem duas supra triginta leges Gordiani datas ante Idus Octobres anni 238. *Pio & Pontiano Coss.*, & duodecim Philippi datas ante Idus itidem Octobres anni 244. *Peregrino & Aemiliano Coss.*, quas cap. VI. ex Codice Justiniani recitavimus, addi hic possunt ex eodem Co-

Codice aliae undecim Gordiani, quarum decem datae sunt eodem mense Octobri anni 238., & una mense Novembri, & duae Philippi, quae datae pariter mense ipso Octobri anni 244. Leges Gordiani sunt L. I. *Si ut omissam hereditatem*, data *Id. Octob.*, L. IX. *Ad legem Falcidiam*, & L. V. *De solutionibus & liberat.*, datae XV. *Cal. Novemb.*, L. IV. *De rei vindicat.*, data XII. *Cal. Novemb.*, L. II. *De temporibus in integr. restit.*, & L. XII. *De excusationibus tutorum & curat.*, datae XI. *Cal. Novemb.*, L. III. *De tempor. in integ. restit.*, data X. *Cal. Novemb.*, L. III. *De magistrat. convenien.*, data VIII. *Cal. Novemb.*, L. IV. *Si reus vel accusator*, data VII. *Cal. Novemb.*, L. VII. *De distract. pign.*, data V. *Cal. Novemb.*, L. VI. *De suspectis tutor. & curat.*, data V. *Idus Novemb.* Leges vero Philippi sunt L. XII. *De fideicommissis*, data *Id. Octob.*, L. VIII. *De suspectis tutor. vel curat.*, data XIIII. *Cal. Novemb.* Decii etiam exstat L. II. *De heredit. action.* data XIIII. *Cal. Novemb. Aemiliano & Aquilino Coss.*, qui fuerunt Consules anni Ch. 249., ostensumque nobis est in fine laudati cap. VI. nummi Herennii Etrusci ab Anazarbensibus percussi auctoritate, ante Calendas saltem Octobres ejusdem anni Ch. 249., hoc est ante exitum anni Epochae Anazarbensium CCLXVIII. ipsum Decium imperium jam auspicatum fuisse, ac filium suum Herennium Etruscum Caesarem post mortem utique Philippi declarasse, atque hujus rei nuncium Anazarbum pervenisse.

Non diffitemur autem, Herodianum lib. 6. cap. 5. aestate anni Ch. 235. Alexandrum bellum Persis inferentem, alteramque ejus exercitus partem per montes Armeniae iter facientem nobis exhibere, quum Persicam ipsam expeditionem quartodecimo imperii ejus anno jam inito eodem lib. cap. 2. inchoatam

 fuis-

fuiſſe ſcribat. Ετῶν μὲν ἐν τρισκαίδεκα ὕτως, ὅσον ἐπ' αὐτῷ τὴν βασιλείαν ἀπέμπτως διώκησε. τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει, ἀιφνιδίως ἐκομίσθη γράμματα τῶν κατὰ Συρίαντε καὶ Μεσοποταμίαν ἡγεμόνων δηλοῦντα, ὅτι Αρταξέρξης ὁ περσῶν βασιλεὺς &c. *Annis itaque tredecim hunc in modum, quod ad ipſum, imperium ſine querela Alexander adminiſtravit. Quartodecimo autem anno repente allatae ſunt literae Syriae, & Meſopotamiae ducum, quibus ſignificabatur, Artaxerſem Perſarum Regem &c.* Verum expeditionem hanc non poſtremo imperii ſui anno ſed aliqanto ante ab Alexandro ſuſceptam fuiſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Etſi enim demus ipſum Alexandrum uſque in initium Octobris anni 235, vitam & imperium protraxiſſe, manifeſtum tamen eſt, ea omnia, quae in eadem expeditione, & poſt illam geſta narrat idem Herodianus, & Lampridius, nullo modo poſt initum ipſum quartumdecimum, & quidem Calendis etiam Januariis anni 235. imperii ejus annum & ante initium ejuſdem menſis Octobris fieri potuiſſe. Sic enim rem narrat Herodianus ipſo lib. 6. cap. 2. & ſeqq.

I. Eo anno jam inito nuncius affertur Alexandro de Artaxerxis Perſarum Regis in Meſopotamiam incurſione. II. literas & legatos ad Artaxerxem de pace mittit Alexander. III. Artaxerxes ſpreta Alexandri legatione, omnem Meſopotamiam decurrit, ac caſtra Romanorum, quae limites imperii tuebantur, oppugnat. IV. his acceptis Alexander ad expeditionem ſe comparat, militemque, qui hoſtium multitudini par eſſet, ex univerſis imperii regionibus cogit. V. Roma proficiſcitur, luſtratoque Illyrico Antiochiam venit. VI. hinc legatos ad Artaxerxem iterum de pace mittit, qui re infecta redeunt. Nonnulli etiam ex Aegypto acciti milites tum ab eo defecere, aliique in

in Syria res novas contra imperium moliti sunt, qui tamen statim oppressi. VII. magno jam coacto exercitu milites trifariam Alexander distribuit: partem alteram per Armeniam ad Septemtrionem iter facere jubet, atque illinc Medorum fines incursare: alteram item ad Septemtrionem per agros Barbarorum, ubi Tigris & Euphrates junguntur, contendere, tertiam vero medio itinere se adducturum pollicetur. Exercitus per Armeniam contendere jussus, superatis aestate asperrimis regionis ejus montibus in Mediam irrumpit, vicos concremat, praedam abigit. VIII. re hac intellecta Artaxerxes huc cum suis copiis venit: ac quum dein accepisset alterum Romanorum exercitum in agros Parthorum, qui ad Orientem spectant, impetum fecisse, veritus, ne inde in Persiam migrarent, eo cum toto exercitu se confert. Interea exercitus, qui in agros Parthorum intraverat, comparente, ac repugnante nullo, negligentius iter faciebat, ratus Alexandrum cum tertia parte copiarum in medios incurrisse Barbaros: qui tamen neque venit, nec exercitum adduxit. Artaxerxes autem quum illuc adventasset, Romanos imparatos, minimeque hostem exspectantes cecidit. IX. ejus cladis nuncio accepto Alexander Antiochiam redit, eoque superstites milites revocat. Ibidem copias iterum instaurat quasi in Persas profecturus, ac quum intellexisset Artaxerxem exercitum suum dimisisse, laxatis belli curis ejus urbis deliciis indulget. Literae eidem Antiochiae pariter agenti redditae sunt, quibus Germani Rhenum & Danubium transgressi in fines Romanos intrasse, nunciabantur. X. in Germaniam proficiscitur Alexander, ac quum ad Rheni ripas constitisset, res ibi ad bellum necessarias comparat. Praelia aliqua geruntur, de pace cum hostibus agitur, ac quum tempus frustra tereretur, deliciisque & aurigationibus ipse Alexander

intentus esset, tandem Maximini opera interimitur. Haec Herodianus: quibus addit Lampridius in ipsius Alexan. vita cap. 56., & seqq., eum post confectum bellum Persicum Antiochia Romam rediisse, splendidissimum triumphum die xxv. Septembris egisse, alia die Circenses & Scenicos ludos necnon Congiarium Populo Romano dedisse: ac deinde ad bellum Germanicum profectum fuisse. Haec certe omnia intra Cal. Jan. anni Ch. 235. & initium Octobris ejusdem anni fieri minime potuere: uti nec intra initium aestatis & exitum mensis Septembris altera exercitus Alexandri pars praeruptissimos Armeniae montes superare, in Mediam excurrere, Artaxerxes huc primum, ac dein in Parthiam cum exercitu contendere, Romanos caedere, Alexander post acceptum de clade suorum nuncium, Antiochiam reverti, copias instaurare, Romam petere, ac denique in Germaniam proficisci potuit: multoque minus post diem xxvi. Septembris & ante initium Octobris potuit idem Alexander Roma in Germaniam proficisci, ibi aliquot praelia gerere, de pace cum hostibus agere, tempus terere, ac deliciis & aurigationibus vacare. Aut ergo multo tardius ejus mors consignanda, aut fatendum, non eo anno Ch. 235. Persicam ipsam expeditionem susceptam fuisse.

Pagius hanc quidem expeditionem susceptam autumat anno Ch. 229., contenditque Alexandrum anni hujus aestate id bellum gessisse, anno 230. Antiochia Romam rediisse, triumphum die xxv. Septembris egisse, post triumphum Antiochiam iterum concessisse, ibidemque tribus, aut quatuor annis ante bellum Germanicum commoratum fuisse, anno 233. Antiochia Romam rursus venisse, anno 234. in Germaniam contendisse, atque anno demum 235. occisum fuisse. Videatur idem Pagius ad dictos annos:

nos: ac simul videantur, quae de hac sententia habet Tillemontius nota VIII. in Alex. Ipse vero Tillemontius docet eamdem expeditionem neque tardius anno 233., neque citius anno 231. consignari posse: censetque Alexandrum quidem anno 232. profectum adversus Persas fuisse, anno 233. bellum gessisse, anno 234. Antiochiam primum, ac dein Romam die XXV. Septembris rediisse, non multo post in Germaniam migrasse, ac anno 235. occubuisse. Videatur hic quoque in Alex. art. XXI. & seqq. Ego autem cum Tillemontio quidem putaverim, cum Imperatorem initio anni 232. aut sub exitum anni praecedentis 231. profectionem in Orientem instituisse, sed aestate quoque ejusdem anni 232. bellum gessisse, autumno anni insequentis Romae triumphasse, anno 234. in Germaniam venisse, ac anno 235. interfectum fuisse. Ratio, cur bellum anno 232. consignandum duxerim, triumphum anno 233., & profectionem in Germaniam anno 234., est quia ex Herodiano lib. 6. cap. 7. apparet ipsum Alexandrum in Germaniam aestate, qua Rhenus navigabilis erat, venisse, pontemque, ut idem flumen cum exercitu transgrederetur, junctis inter se navigiis effecisse: *Confectoque celeriter itinere constitit ad Rheni ripas . . . pontemque primo junctis inter se navigiis fecit in Rheno flumine, ut per eum exercitus transgrederetur: quippe hi maximi fluminum sub Septemtrione feruntur Rhenus ac Danubius . . . atque aestate quidem navigabiles altissimo latissimoque alveo, per hiemem dein concreti gelu camporum in morem perequitantur*. Non ergo eodem anno, quo Romae die XXV. Septembris triumphavit, in Germaniam quoque, ut vult Tillemontius, Alexander profectus est: adeoque si annus triumphi non fuit 234., sed 233., neque annus belli erit 233., sed 232.

Ceterum neque ex eo, quod Herodianus imperio

Ale-

Alexandri annos Julianos 14. tribuat, annumque proinde Ch. 235. eidem adſcribat, argui poteſt, ipſum Alexandrum poſt Cal. Julias ejus anni interfectum fuiſſe. Regula enim illa, quam ſtatuit V. C., quod annum Julianum, qui unius Imperatoris poſtremus fuerit, & primus alterius, anteceſſori quidem, ſi *poſt Cal. Julias* obierit, imputet Herodianus, imputet vero ſucceſſori, ſi ille ante eaſdem Cal. occubuerit, aperte ipſimet Herodiano, non ſolum in annis, quos tribuit Maximino, quum Afri ab eo defecerunt; ſed & in annis, quos Caracallam ſolum, ac poſt mortem patris & fratris imperaſſe, ſcribit, adverſatur. Afrorum defectionem, quae contigit anno Ch. 237. ante diem XXVII. Maji, contigiſſe refert τριετοῦς *triennali* Maximini imperio, ut cap. IV. oſtendimus, decurrente; unde annum Ch. 235., qui poſtremus fuit Alexandri, & prior Maximini, ipſi etiam Maximino adſignat. Antoninum vero Caracallam poſt mortem Severi, qui obiit anno Ch. 211., & Getae, qui obiit anno 212., imperaſſe tradit, ut ſupra pag. 194. *annos ſex;* qui coepti quidem ipſo anno 212., quo obiit Geta, deſinunt anno 217., quare annus hic Julianus 217. ipſimet Caracallae, tametſi ante *Cal. Julias*, nimirum die VIII. Aprilis, interfectus fuerit, ab Herodiano adſcribitur, quamvis idem poſtea Macrino etiam imputetur. *Triennium* quidem Maximini vertit V. C. in *biennium:* at num & *ſexennium* Caracallae, vertet in *quinquennium?* aut a textu Herodiani deleri jubebit verba illa: μόνος ἐβασίλευσεν ἄνευ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ ἀδελφοῦ *SOLUS regnavit, ſine patre, & FRATRE?*

Ludos Olympios, qui in nummo Anniae Fauſtinae repraeſentantur, ad ſolſtitium aeſtivum anni 221. nunc revocat V. C., eoſdemque ob nuptias ipſius Anniae celebratos iterum ſupra laudata pag. 116. exiſtimat.

Hinc

Hinc & tempus earumdem nuptiarum, quas in priori Difsert. pag. 87. Aegyptiaco nummo ipsius Anniae Faustinae anno v. imperii Elagabali obsignato celebratas probaverat anno 222. post quartum annum imperii ejusdem Elagabali, & quinto jam inito, ad praedictum annum 221. retrahit. Eodem modo nuptias Corneliae Paullae, quas primum quidem pag. 35. celebratas docuerat anno 221. sub exitum anni tertii Elagabali, ut supra pag. 176., confert nunc pag. 26. in annum 220., aitque, Elagabalum circa finem mensis Junii, aut initio Julii hujus anni 220. illam in uxorem duxisse, ac post dies aliquot repudiasse: *adeo ut Aegyptii circa finem Augusti bujus matrimonii certiores facti nummos cum anno* III., *& mense Septembri ineunte, alios cum anno* IV. *ei percußerint, nondum scilice: ejus repudii nuncio accepto*. Qua in re eam vel ipse sententiam nunc primum adsciscit, quod Aegyptii annos Romanorum Imperatorum non a die initi imperii, sed a prima die mensis Thoth, hoc est a die XXIX. Augusti numeraverint, ita ut si aliquis ante eam diem imperio potitus fuisset, ea postea die adveniente secundum annum ejus imperii in nummis signare illi coeperint.

De singulari hac annos Imperatorum in nummis Aegyptiacis numerandi ratione jam nobis actum cap. XIV., ubi ostendimus, omni fundamento destitutam esse, ac a Pagio, cui semel probata fuerat, repudiatam postea fuisse. Nuptias Corneliae Paullae anno 219. ut supra pag. 174. consignandas nos potius ducimus, & quidem non multo post Elagabali ad Urbem adventum, quum nempe annos natus hic esset dumtaxat circiter quindecim. Quod autem V. C. docet Elagabalum eamdem Paullam aliquot tantummodo dies retinuisse, quia, ut ait pag. 25., Dio recensi-

tis

tis muneribus, quae in ejus nuptiis largitus fuerat Elagabalus, statim subdit: *Post haec*, hoc est, ut explicat V. C., post ea munera, seu Congiarium in nuptiis distributum, *repudiata Paulla, quod maculam haberet in corpore, sicuti dicebat, Aquiliam Severam duxit:* hoc falsum quoque putaverim, quum verba illa *post haec*, ut & multo magis Graecum adverbium *εἶτα*, quo utitur eo loci Dio, idem prorsus ac *postea*, *deinde* significent. De ludis vero Olympiis a Laodicenis in honorem Anniae Faustinae celebratis, quos nunc retrahit V. C. ad solstitium aestivum anni 221., jam a nobis satis cap. IX. disputatum. Ostendimus namque, huiusmodi certamina, quae ad eorum, quae in Elide fiebant, imitationem committebantur, non eodem anni tempore, quo ipsa Olympia, quae fiebant in Elide, fuisse agitata. Quomodo autem Programma Cycli Paschalis S. Hippolyti nunc exponat V. C., hoc cap. sequenti.

CAPUT XIX.

Nova explicatio Programmatis Cycli Paschalis S. Hippolyti a Cl. Vignolio proposita refutatur. Hippolytus annum primum imperii Alexandri non pro anno Juliano accepit, sed a die initi imperii more populari numeravit. Nec Aegyptii a Thoth fixo, nec Graeci ab autumno annos Imperatorum vulgo computarunt. Vera Card. Norisii hac de re doctrina. Ptolemaei, Herodiani, aliorumque Scriptorum in annis Imperatorum putandis methodus ei explicationi minime favet. Nomen Elagabali in Inscriptione Panviniana in recto positum denotat, Elagabalum quidem statuam Serapidi dicasse, non autem eamdem solenni ritu dedicasse.

CL.

CL. Vignolius in priori Differt. pag. 95., quo Programma Cycli Paschalis S. Hippolyti cum sua opinione de initio imperii Alexandri conciliaret, eam conjecturam, quam supra cap. II. rejecimus, se quidem proponere dixerat, *si modo annus primus Alexandri*, unde Canonem suum auspicatur Hippolytus, *pro anno Juliano 222., in quem vere primus annus ille incidit, acceptus ab ipsomet Hippolyto non fuerit.* Hanc autem explicationem, quam dumtaxat dubitanter tum indicaverat, nunc cap. XI. pag. 121. & seqq. veram esse omnino affirmat: aitque, ferri utique posse, ut eum in modum, hoc est a Cal. Jan. cum anno Juliano primum illum annum Alexandri numeraverit Hippolytus, quum etiam Aegyptii, *uti annum suum civilem a neomenia Thoth fixi, seu a die* XXIX. *Augusti ordiebantur, ita annos Principum ab ipsomet Thoth* numerarent. Idem factitatum ait a Graecis, *qui ab Autumno: de quo*, subdit, *utraque Card. Norisii de Anno & Epochis Syromaced. aliorumque Chronographorum pagina abunde nos docet*: necnon ab Hebraeis, *qui pariter*, inquit, *Regum suorum annos a prima die Nisan per anticipationem exordiebantur*. Addit, Ptolemaeum etiam tam Regum Graecorum post mortem Alexandri, quam Romanorum Imperatorum annos in suo Canone ab antecedente Thoth enumerasse, & Herodianum a Cal. Januariis eorumdem imperii initia repetiisse.

Contra hanc etiam explicationem, quam supra cap. II., quum non multum eidem tum fidere V. C. videretur, prorsus praeterii, nonnulla hic afferam. Ac illud quidem pro certo statui posse existimaverim, Hippolytum, Canonem suum descripturum, ita tempus, seu annum, unde illius exordium sumebat, de-

ſignare voluiſſe, ut primo quiſque intuitu, clare, aperteque, quis is annus eſſet, intelligere potuiſſet. Si enim pro uſu Eccleſiarum Canon ille conditus eſt, ac in eo, quo ſingulis deinceps annis die, ac menſe Paſcha foret celebrandum, indigitatum: primus certe ejuſdem Canonis annus, qui regula, & ratio ceterorum, perſpicue, omnique prorſus ambiguitate ſubmota, exprimi, & declarari debuerat. Hippolytus ergo, quum primum ſui Canonis annum per primum annum imperii Alexandri indicavit, primum hunc annum imperii Alexandri acceperit, neceſſe eſt, ut vulgo, tam apud Romanos, quam Grecos primus annus cujuſque Imperatoris accipi conſueverat. Quum autem primus annus cujuſque Imperatoris tam apud Romanos, quam Graecos vulgo pro eo acciperetur, qui a die initi Imperii, non vero qui per anticipationem a Cal. Januariis, aut alia quacumque die, numeratur; hinc Hippolytum quoque primum annum imperii Alexandri ab eadem initi imperii die accepiſſe, fatendum.

Quod vero V. C., ait Aegyptios, uti annum ſuum civilem a neomenia Thoth fixi ordiebantur, ita annos Principum ab ipſomet Thoth numeraſſe: id ipſum eſt, quod cap. XIV. ratione omni, ac fundamento deſtitutum eſſe oſtendi. Ac licet tritam rem eam eſſe V. C. affirmet pag. 122., attamen, non video cur vere dici id poſſit, quum eruditiſſimos fere quoſque recentiorum antiquariorum eadem res aut fugerit, aut ſpreta ſaltem, neglectaque ab iis fuerit. Pagius, qui ſemel eam ſententiam docuerat, pluribus poſtea in locis, ut ſupra eodem cap. XIV., deſeruit. Noriſius, ut Patinum, Morellium, Toinardum ſileam, Diſſert. 4. de Epoch. Syromac. cap. 1. pag. 307. agens de nota *L.*, qua Aegiptii, aliique annum in nummis

mis notare solebant, nil prorsus de ea re habet: imo pag. 300. loquens de nummo Hadriano in postica parte inscripto: ΠΡΟΝΟΙΑ. ΚΒ., quae Patinus interpretatur: *Providentia, anno* XXII., imperii scilicet Hadriani, qui sane nummus afferri solet, ut supra eod. cap. XIV. pag. 147., ut probetur, Aegyptios annos Imperatorum a neomenia Thoth fixi per anticipationem computasse, nummum hunc scribit procul a Baiis in Italia, ubi Hadrianus decessit, cudi potuisse, *in Cylicia vel in Syria, nondum ibidem obitu Imepratoris intellecto, ut paucis post diebus ineunte anno* XII. *imperii ejusdem publicaretur*. Tillemontius etiam, quamvis eamdem sententiam non ignoraret, illam tamen nunquam probavit, sed annos Imperatorum in nummis Aegyptiacis notatos, a die initi imperii more Romanorum semper numerandos esse censuit, ut videre est praesertim in Hadriano art. XI., & not. IX. in eumdem, ubi hujus Imperatoris Alexandriam Adventum, qui in aliquibus Alexandrinis nummis signatis L. IE. *anno* XV. repraesentatur, confert in annum Ch. 132. Illud equidem verum, quod docet idem Norisius Dissert. 3. de Epoch. Syromac. cap. 6. pag. 176. & 177., ipsos Alexandrinos, quum suam Epocham sive Augustanam, sive ab imperio Diocletiani instituerunt, ejus annos a prima die Thoth deduxisse, ut nempe novae epochae idem quod & anni civilis exordium esset: quod fecerunt quoque Romani, quum Augustanam suam epocham auspicaturi, ejus initium Calendis Januariis fixerunt. Ceterum quemadmodum Romani, quamvis annos suae aerae Augustanae a Cal. Jan. una cum anno civili numerarent, annos nihilominus cujusque Imperatoris a die initi ab eo imperii computarunt, sic ab hoc ipso principio Aegyptios, quamvis epocharum suarum initia a Thoth fixo re-

peterent, eosdem annos Imperatorum numerasse, censendum.

Quod vero addit de Graecis, nimirum hos quoque annos Imperatorum ab autumno, quemadmodum Aegyptii a Thoth fixo, per anticipationem computasse, laudatque hanc in rem Em. Norisium, id sane apertissime falsum. Quod docet, ac quidem passim Norisius, est, ipsos Syro-Graecos suarum Epocharum annos ab autumno, unde civiles suos annos auspicabantur computasse, minime vero annos singulorum Imperatorum. Id enim perspicue apparet non modo ex iis, quae, & supra vidimus, ait de nummo Hadriani inscripto: ΠΡΟΝΟΙΑ. ΚΒ., sed ex iis etiam, quae habet tum Dissert. 3. cap. 7. pag. 215., tum in Epochis Addendis pag. 489. Priori loco profert duos nummos Tiberii, alterum ab Antiochenis scalptum, alterum a Seleucensibus. Nummus Antiochenorum in aversa parte inscriptus est: Α ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΜ. hoc est: *Anno primo. Sub Silano. Antiochensium. Anno* XLV. Nummus vero Seleucensium: Γ. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΖΜ. hoc est: *Anno tertio. Sub Silano. Seleucensium. Anno* XLVII. Priores notas numerales Α. & Γ. refert ad annos imperii Tiberii, posteriores vero ΕΜ. & ΖΜ. ad annos Epochae Augustanae, seu ab imperio Augusti in Syria, coeptae, ut supra etiam pag. 144. diximus, autumno anni V. C. 723. ante Ch. 31., atque hos numerat quidem ab autumno, sed annos Tiberii a die XIX. Augusti, qui fuit dies imperii ejus natalis. Ac sane quum annus ejus Epochae XLV. inierit autumno anni Ch 14., & annus XLVII. autumno anni 16., si Antiocheni & Seleucenses annos imperii Tiberii ab autumno pariter per anticipationem, ut contendit V. C., exorsi fuissent, cum eo anno XLV. inire debuisset annus secun-

dus

dus imperii Tiberii, & cum anno XLVII. annus quartus, imperium enim hic susceperat die XIX. Augusti anni Ch. 14. In Epochis vero addendis pag. 489. aliquot nummos recenset eorumdem Antiochenorum, in quibus anni eorum epochae, non quidem Augustanae, sed Caesarianae cum annis imperii Neronis copulantur, ac priores quidem numerandos docet a Calendis Septembris aut Octobris, posteriores vero a die XIII. Octobris, qui fuit pariter dies natalis imperii ipsius Neronis. Inter alios duos nummos ibidem laudat hujus Imperatoris, in quorum alio legitur HP. E. hoc est: *Anno* CVIII. aerae Caesarianae Antiochenorum, & *quinto* imperii Neronis, & in alio: HP. ϛ. hoc est: *Anno* item CVIII. ejusdem epochae, & *sexto* Neronis. Epocha Caesariana Antiochenorum coepit Calendis Septembris aut Octobris anni V. C. 705. ante Ch. 49., & Nero imperium adeptus est die XIII. Octobris anni V. C. 807. Ch. 54., quare prior nummus cusus fuit post initum jam Calendis Septembris aut Octobris anni V. C. 812. Ch. 59. eum annum Antiochenorum CVIII. & ante diem XIII. Octobris, quum adhuc nempe laberetur annus quintus imperii Neronis, qui die XII. Octobris complebatur; alius vero post ipsam diem XIII. Octobris, ejusdem anni, postquam scilicet eadem die sextus annus ejus imperii jam iniisset. Si autem ab eodem initio tam annos suae epochae, quam annos Imperatorum auspicati fuissent Antiocheni, ineunte anno illo CVIII. statim quoque inire debuisset annus sextus imperii Neronis; quod tamen falsum, quum junctus quoque cum eodem anno visatur annus quintus.

Qualis autem Hebraeorum in Regum suorum annis supputandis vetus mos fuerit, nil prorsus refert examinare, quum hac in re una Romanorum, alio-

rum-

rumque Graecorum vulgaris consuetudo spectanda sit, a qua Hippolytum in Cyclo suo Paschali pro vulgari usu Ecclesiarum condendo discessisse, minime credibile. Idem dicendum de Ptolemaei, Herodiani, aliorumque Scriptorum exemplo, qui aut in Catalogis Imperatorum texendis, aut in Chronicis, Historiisve conscribendis, non more populari, sed per annos plenos juxta methodi suae rationem tempus ipsorum Imperatorum computarunt. Non enim horum exemplum, sed morem potius, qui vulgo, ac in nummis, ceterisque id genus publicis monumentis tam apud Romanos, quam Graecos servabatur, qui rationi pariter maxime consonus, sequutum Hippolytum fuisse, plane existimandum. Si itaque quum primum Paschalis sui Canonis annum indicavit Hippolytus, eum indicavit per primum annum imperii Alexandri, atque hunc Idibus Aprilibus anni Ch. 222. nobis jam decurrentem semel iterumque exhibuit, Idibus ipsis Aprilibus ejusdem anni imperio jam praefuisse Alexandrum, necesse est.

Aliqua etiam V. C. profert cap. v. pro Panviniana Inscriptione, de qua supra cap. xi., quae tamen ad Illustrissimum Adriae Praesulem potius, quam ad me pertinent. Unum tamen addit in fine ejusdem capitis, quod mea potissimum spectat: nam quum ego in priori Dissert., ac laudato cap. xi. dixerim, fieri potuisse, ut eam Serapidis statuam Elagabalus quidem fieri jusserit, sed ab Alexandro postea, aut hujus saltem tempore dedicata fuerit: is contra contendit, illam dedicatam quoque fuisse ab Elagabalo. Ait enim pag 51. & sequ. *Qui praeterea statuam illam dedicaverit, Elagabalus sive ut basis inscriptio docet*, Imp. Caes. M. Aurel. Antoninus Aug. Pius Felix. Cos. IIII. P. P. *appellabatur. Ejus namque nomen in recto ibi positum*

quid

quid denotare possit aliud, explicent velim. Haec autem ego sic explicaverim, ut nomen illud in recto in basis inscriptione positum denotet quidem, Elagabalum statuam illam fieri jussisse, ac Serapidi dicasse, minime vero solenni eamdem ritu dedicasse. Duo enim, ac plane diversa ist haec erant, multoque nonnumquam tempore postquam confectae, ac dicatae ipsae statuae erant, ab Sacerdotibus, ut cap. XI. ostendimus, dedicabantur. In basis itaque inscriptione nomen ejus de more insculptum est, qui statuam dicavit, verbo quidem, quo hoc significetur, ut in plerisque aliis inscriptionibus observare licet, subintellecto: in altera vero, quae a tergo, inscriptione dedicationis memoria posita est, seu tempus, quo ipsa statua *dedicata*, designatum.

CAPUT XX.

Argumentum a Cl. Vignolio contra nostrum conjecturam propositum ex nummo Elagabali inscripto: TR. P. II. COS. III. Similis difficultas eidem Cl. Vignolio solvenda in Commodo, cujus Tribunitiae Potestatis initium confert in annum Ch. 175. Duae ejusdem difficultatis ab eruditis propositae solutiones: quae in re pariter nostra adhiberi possunt.

UT Differtationem tandem absolvamus, una nobis, eaque sane gravissima, superanda remanet difficultas, quae contra nostrum systema, de annis imperii Elagabali a morte Antonini Caracallae, hoc est a die VIII. Aprilis anni Ch. 217. numerandis, a Cl. Vignolio in priora sua Dissertatione proposita est, ac de qua supra in fine cap. XVI. Haec petitur ex nummo ipsius Elaga-

ba-

bali, qui primum ab Angelonio, nunc vero iterum ab eodem Cl. Vignolio audata Dissert. pag. 48. editus est; exhibetque Congiarium Elagabali cum epigraphe: *P. M. TR. P. II. COS. III. LIBERAL. AVG. S. C.* Elagabalus Consulatum III. suscepit Cal. Jan. anni Ch. 220. quo tempore si suae Tribunitiae Pot. initium sumsisset a mense Aprili anni 217., Tribunitiam Pot. III. numerare debuisset.

Nummum hunc, si vera illa inscriptio, nostrum systema evertere dixeram in priori Dissertione pag. 112. Verum, quum illud ipsum argumentum in non absimili alia, quam modo proponam, difficultate solvendum vel ipsi Cl. Vignolio sit; hinc quam afferet ille responsionem eamdem ego quoque, usurpavero. In *Diagrammate annorum, quibus Augustus, ceterique deinde Imperatores usque ad Alexandrum Tribuniciam Potestatem & Consulatum susceperunt, & renovarunt*, quod rite in posteriori Dissert. a pag. 73. ad 88. V. C. disponit, pag. 83. initium Tribunitiae Pot. Commodi confert in annum V. C. 928. Ch. 175. *circa finem Aug.* Ac recte equidem: occisus namque fuit Commodus, ut vel ipse eadem pag adnotat, *Prid. Cal. Jan.*, seu postremo die Decembris anni V. C. 945, Ch. 192., exstatque illius epitaphium ut & plures ejus nummi, in quibus *TR. P. XVIII.* inscribitur. Sunt etiam nummi ejusdem inscripti: *TR. P. IIII. COS. DES. II.*, qui cusi profecto fuere ante Cal Jan. anni Ch. 179. quibus Consulatum II. is suscepit, necnon *TR. P. VIII. COS III.*, qui cusi ante Cal Jan anni 183. & TR. P. XVII. COS. VI, qui pariter cusi ante Cal. Jan. anni 192. Verum initio illi Tribunitiae Pot. Commodi tres nummi potissimum, qui apud Occonem, eumdem prorsus in modum, atque initio Tribunitiae Pot. Elagabali a nobis statuto nummus superius laudatus,

ad-

adverfantur. Prior, quem refert ipfe Occo pag. 312., infcriptus eft: *TR. P. II. COS. II. S. C. LIBERALITAS. AVG. Imp. infidens fubftructioni, cum quatuor figuris diftribuens congiarium*. Confulatum II. iniit Commodus, ut fupra diximus, Cal. Jan. anni Ch. 179., quare fi tum numerabat dumtaxat Tribunitiam Pot. II. hujus initium fumi non poterit ab anno 275. circa finem Augufti, nam aliter numeraffet Tribunitiam Pot. IIII. Nummum hunc recitat etiam Mediobarbus pag. 242., fed quodammodo corrumpit,' quum loco *COS. II.* reponat *COS.* fine nota numerali, cenfetque Congiarium illud diftributum fuiffe in primo Commodi Confulatu anno Ch. 177. ob ejus nuptias cum Crifpina. Secundus nummus, quem recitat idem Occo pag. 313., haec habet: *T. P. III. IMP. II. COS. III. P. P. Spei fedentis typus*. Confulatu III. infignitus fuit Cal. Jan. anni Ch. 181., ac fi Tribunitiam Pot. fufcepiffet anno 175. circa finem Augufti, gerere tum debuiffet Tribunitiam Pot. V. Hunc quoque eadem pag. recenfet Mediobarbus, fed in eo etiam loco *COS. III.* reponit *COS.* fine nota numerali. Tertius denique nummus hanc apud eumdem Occonem pag. 314. fert epigraphen: *IMP. TR. P. V. COS. III. F. EXERC. Imperator adloquitur cohortes*; cufufque videtur poft Cal. quidem Jan. anni 181. quibus, ut diximus, Confulatum III. iniit Commodus, & ante Cal. Jan. anni 183., quibus iniit Confulatum IV. Hunc nummum eodem modo defcribit etiam Mediobarbus pag. 244.

Duae maximae hujus difficultatis folutiones ab eruditis afferuntur. Prior eft, quam tradit Lacarryus in Hiftor. Imperat. Rom., dum contendit, duplex initium Tribunitiae Pot. Commodi admittendum effe, alterum anno Ch. 175., & alterum anno 178., quo illum

a M. Aurelio Augustum declaratum fuisse existimat. Ab anno 175. numerat Tribunitiam Pot. XVIII., quam Commodus, quum postremo die anni 292. occisus fuit, instauraverat: ab anno vero 178., numerat Tribunitiam Pot. II., quae in nummis juncta cernitur cum Consulatu II., & Tribunitiam Pot. III., & V., quae cum Consulatu III. copulantur.

Eamdem solutionem proponit quoque V. C. Philippus Bonarota in Observat. in num. max. mod. Card. Carpinei pag. 97. & seq., quamvis secundum initium Tribunitiae Pot. ipsius Commodi non ab eo tempore sumat, quo Augustus a M. Aurelio, ut uult Lacarryus, declaratus fuit, sed quum idem M. Aurelius post triumphum Romae actum die XXIII. Decembris anni V. C. 929. Ch. 176., ac postquam Lavinium concessisset, eum *sibi collegam*, ut habet Capitolinus in vita ipsius Marci cap. 27. *in Tribunitiam potestatem junxit*. Quamvis enim erroris eo loci ab eruditis accusetur Capitolinus, quod tam sero traditam Tribunitiam Pot. Commodo scripserit, quum ex ejus nummis inscriptis *TR. P. XVIII.* aliisque monumentis colligi prorsus videatur, eam collatam illi fuisse anno Ch. 175., ac Vulcatius in vita Avidii Cassii cap. 13., inter acclamationes quibus Senatus nuncium mortis ipsius Avidii Cassii, quae contigit circa mensem Julium ejusdem anni 175., accepit, has quoque recenseat: *Commodo imperium justum rogamus.... Commodo Antonino Tribunitiam potestatem rogamus:* attamen recte conciliari haec posse, Vir eximius arbitratur, si dixerimus, Senatum postulasse tum quidem temporis, ut Commodo Tribunitia Pot. conferretur, sed M. Aurelium non nisi uno anno post atque amplius eum sibi collegam in eo magistratu adjunxisse, ac in aliquot proinde nummis numeratam ejus Tribuni-

ni-

nitiam Pot. fuiſſe ab ipſis Senatus acclamationibus, quaſi tum Senatuſconſultum conditum fuiſſet, in aliis vero numeratam a tempore, quo a Marco in conſortium ejuſdem Tribunitiae Pot. adſcitus fuit.

Altera ſolutio eſt Pagii ad ann. Ch. 175. num. v. & vii., ubi ſecundo Lacaryi initio, ejuſdemque de de tempore, quo Commodus Auguſtus renunciatus fuit, opinione refutata, docet iis in nummis, in quibus Commodus dicitur *TR. P. II. COS. II.* & *TR. P. V. COS. III.*, Conſulatus ejuſmodi pro *deſignatis* habendos eſſe, atque ita priorem nummum cuſum eſſe ait anno Ch. 178., quo fuit Commodus *COS.* primum deſignatus II., & alterum cuſum anno 280., quo idem Commodus fuit COS. II. deſignatus III., aitque, alibi, nimirum in Diſſert. Hypat. par. 1. cap. 1., ſe oſtendiſſe, *Conſulatus deſignatos Caeſarum vel Auguſtorum in nummis & inſcriptionibus non raro abſolute & ſine deſignatione memorari*. Alium vero nummum, in quo Commodus dicitur *TR. P. III. IMP. II. COS. III.* docet male ab Occone deſcriptum fuiſſe, ac loco *COS. III.*, legendum eſſe *COS. II.*, *qui ſecundus conſulatus*, ſubdit, *abſolute poſitus deſignatus ſolum erat, adeo ut nummus ille anno CLXXVIII. percuſſus fuerit antequam Commodus diceretur IMP. III.*

Ex his duabus ſolutionibus, quam velit, ſibi eligat Cl. Vignolius, quo Tribunitiae Pot. Commodi initium abs ſe in ſuo Diagrammate ſtatutum tueatur. Si cum Lacarryo ac Bonarota duplex exordium admittere haud abſurdum judicaverit, neque ego ſyſtema noſtrum de initio Tribunitiae Pot. Elagabali quodammodo temperare, ac duplex illius exordium ſtatuere, repugnavero, aliud nempe menſe Aprili anni Ch. 217., & aliud Menſe Majo, aut Junio anni 218. Ac-

sane si verum sit quod ait Pagius, nummum illum Commodi inscriptum: *TR.P.III.IMP.II.COS.III.* male ab Occone descriptum fuisse, ac loco *COS.III.* legendum esse *COS. II.*, ac forte etiam *IMP. III.* pro *IMP. II.*, rectius secundum initium ipsius Commodi consignari potuerit anno Ch. 177., quo Augustea pariter dignitate, ut ostendit idem Pagius contra Lacarryum, exornatus fuit.

Neque vero a duplici hujusmodi Tribunitiae Potestatis Imperatorum initio abhorret idemmet Pagius, quum expresse vel ipse duplex initium Tribunitiae Pot. Antonini Caracallae constituat, unum anno Ch. 197. & alterum anno 198. post Idus Apriles. Videatur ipse Pagius ad dictum annum Ch. 198. num. VII. & IX. & ad annum 203. num. IV. Idem ante Pagium praestiterat Em. Norisius in Dissert. de votis Decenn. pag. 131., quamvis hic utrumque initium statuat anno Ch. 198., ac prius quidem circa diem XIX. Februarii, alterum vero post Calendas Junias. Ad haec autem duo initia Tribunitiae Pot. Caracalle admittenda adductus Norisius fuerat, quia, quum ipse Caracalla, antequam die VIII. Aprilis anni Ch. 217. decessisset, Tribunitiam Pot. XX. instaurasset, necnon ante diem IV Aprilis anni 200. Ttibunitiam Pot. III., probe consequi animadverterat, eum anno 198., & quidem ante diem IV. Aprilis, Tribunitia Pot. donatum fuisse. Ac quoniam rursus exstare Romae observaverat duo preesertim elogia, in quibus cum Tribunita Pot. XI. Severi, quae juxta ejus opinionem non inierat nisi Calendis Juniis an. Ch. 203., juncta erat Tribunitia Pot. V. Caracallae, hinc nonnisi post Calendas ipsas Junias anni 203. eamdem Trib. Pot. V. Caracallae, iniise intulerat, ut & primam nonnisi post Calendas Junias anni 198. Sic ergo, ut haec in concordiam re-

dige-

digeret, docuit Severum, post Albinum die XIX. Februarii anni 198. devictum, inter festa ob reportatum victoriam Antoninum Caesarem abs se antea dictum Imperatorem Augustum destinasse Tribunitia Pot. eidem delata, eodemque anno, quum Galliae ac Britanniae rebus compositis Romam venit, Senatui jussisse, ut Antonino Caesari Imperatoris insignia decerneret: atque *hinc factum*, inquit, *est, ut quum quidam annos augustae dominationis Antonini numerarent a die, qua ille in Galliis a Patre destinatus fuerat Imperator, alii vero a die qua S. C. nomen & insignia imperatoria eidem tradita sunt, in signandis annis Tribunitiae potestatis Antonini variaverint*. Earum inscriptionum, in quibus Severus quidem dicitur *TRIB POT. XI.*, Antoninus vero Caracalla *TRIB POT. V.*, alteram cerni Romae affirmat in superiori parte Panthei, alteram vero recitari a Grutero pag. 191., ac licet in priori Severum non *TRIB. POT. XI.* sed *TRIB. POT. X.* legi, nos moneat Cl. Vignolius in posteriori Dissert. pag. 86., in altera tamen, quae apud Gruterum pag. 191. 5., re vera ita Severus inscribitur, ut & Antoninus *TRIB. POT. V.* Pagius autem ideo primum initium Trib. Pot. Caracallae confert in annum Ch. 197., quia eo anno censet ipsum Caracallam Imperatorem a patre destinatum fuisse, secundum vero initium anno insequenti 198. post Idus Apriles collocat, quia ab Idibus ipsis Aprilibus anni Ch. 193., non vero a Cal. Juniis, ut vult Norisius, Severum Tribunitiam suam Pot. numerasse existimat.

Si autem, ut ad difficultatem de Commodi initio redeamus, cum ipso Pagio Cl. Vignolius affirmaverit, Consulatus designatos aliquando nec raro absolute, & sine designatione in nummis memorari, atque ita accipiendum esse Consulatum II. Commodi cum *TR.*

P. II.

P. II., & Consulatum III. cum TR. P.V. conjunctum, idem dici pariter poterit de Consulatu III. Elagabali cum ejus TR. P. II. copulato. Certe quum mors Elagabali eousque differri nequeat, ut die XVI. Maji anni Ch. 222. Tribunitiam potestatem quintam, quintumque imperii sui annum inire, ac post eum initum Anniam Faustinam repudiare, duo alia matrimonia contrahere, ac demum ad Aquiliam Severam redire potuerit, alio a principio quam a die XVI. Maji anni Ch. 218. ejusdem Tribunitiae potestatis & imperii initium repetendum omnino videtur; ac quum non aliud verisimilius principium occurrat, quam quod a morte Antonini Caracallae, cujus filius, successorque imperii declaratus a militibus idem Elagabalus fuerat, deducatur: hinc si huic ipsi initio difficultas, quae aliis quoque in rebus solvenda est, objiciatur, eamdem, quae illis in rebus adhiberi solet, solutionem usurpari pro eo pariter posse crediderim.

Haec vero sunt, ut finem sat prolixae disputationi demum imponam, quae in re tam difficili, implicataque, quo Cl. Vignolio, atque Illustrissimo a Turre satisfacerem, verisimiliter dici posse existimavi. Ceterum si his quoque reponendum Viri iidem doctissimi duxerint, ego sane huic nunc controversiae nuncium mitto, nullamque posthac me in hac re insumturum operam plane profiteor. Neque enim is sum, qui longioribus his contentionibus delecter, aut in iisdem tempus, quod ob muneris mei rationem gravioribus aliis ac sanctioribus studiis mihi impendendum, ponere velim. Judicium viris eruditis, qui nullo partium studio laboraverint, lubens permittam: qui si minus etiam nostra probaverint, ac victoriam praestantissimis, iisque mihi amicissimis, adversariis decernendam putaverint,

non

non aegre equidem feram, ſed illud mecum ipſe, quod Achelous apud Ovidium, poſtquam manus cum Hercule conſeruiſſet ingeminavero:

nec tam
Turpe fuit vinci, quam contendiſſe decorum eſt:
Magnaque dat nobis tantus ſolatia victor.

FINIS.

INDEX
RERUM.

A

Ba-

B

C

D

E

F

G

H

Ha-

I

L

po-

FINIS.

AP-

NOs D. Octavius Cusanus Abbas & Praesidens Congregationis Casinensis. Cum Librum, cui titulus: *De Initio Imperii Severi Alexandri Aug.*, a P. D. Virginio Valsecchio a Brixia Decano Casinensi, & in Pisano Lyceo Sacrarum Literarum, atque Historiae Ecclesiasticae Professore conscriptum, duo nostrae Congregationis Theologi, ad id a nobis destinati, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, ut typis mandetur, si ceteris, quorum interest, videbitur, licentiam concedimus, & facultatem impertimur.

Dat. Mediolani ex nostro Monasterio S. Simpliciani die 1. Augusti 1715.

D. Octavius a Mediolano Abbas & Praesidens.

Loco ✠ Sigilli.

D. Seraphinus a Mathera Prior Procancell.

ILlustrissimus D. Eques Fulcus de Portinaris Canonicus Ecclesiae Metropolitanae Florentinae, complaceat solita sua diligentia perlegere hunc Librum, cui titulus est, *De Initio Imperii Severi Alexandri Augusti*, & recognoscere, an in ipso adsit aliquod S. Fidei Orthodoxae adversum, & bonis moribus repugnans, & referat. Dat. hac die 7. Augusti 1715.

Nicolaus de Castellanis Vic. Generalis.

Jussu Illustriss. ac Reverendiss. Vic. Gener. Florentini legi sedulo hoc opus inscriptum *De Initio Imperii Severi Alexandri Augusti*, ac in eo admiratus divitem eruditionis thesaurum, qua egregius Auctor litterarum Rempublicam locupletat, nihil, quod orthodoxae Fidei morumque puritati absonum sit, deprehendi: quapropter dignum censeo quod praelo committatur. Datum hac die 19. Augusti 1715.

Fulcus Ant. Maria Portinari Canonic. Flor. & S. Off. Consult.

Attenta Relatione Imprimatur

Nicolaus de Castellanis Vic. Gener.

EX commissione Reverendiss. P. Inquisitoris Gener. S. Off. Florentiae Reverendiss. P. Magister Petrus Antonius Rossi Ord. Serv. B. M. V. Consultor hujus S. Off. attente videat, & legat hunc Librum, cui titulus est: *De Initio Imperii Severi Alexandri Aug.* & referat, an typis mandari possit. Dat. ex Ædibus S. Inquisitionis Flor. die 19. Augusti 1715.

Fr. Bernardinus Frachia Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Flor.

De mandato Reverendissimi Patris Inquisitoris Generalis Florentiae, accurate, ac maxima animi voluptate perlegi Dissertationem hanc Auctore P. D. Virginio Vallechio Monacho Cas. & in Pisana Universitate Sacrae Scripturae, & Ecclesiasticae Historiae eximio Professore. Qui quidem Auctor, ob alia quae edidit scripta, jamdudum orbi Litterario notus *De Initio Imperii Severi Alexandri Augusti* judicium suum profert ad exactissimam Chronologiae trutinam ponderatum, eodemque rationum pondere, ac momento illud ab objectis Clariss. Virorum feliciter vindicat. Quum autem in hoc tam praecellenti opere nihil deprehenderim, quod Catholicae Fidei, ac bonis moribus adversetur, publica luce dignissimum censeo. Dat. Florentiae in Conventu SS. Annuntiatae die 25. Augusti 1715.

Fr. Petrus Antonius Rossi Ord. Servorum B. M. V. Sanctae Romanae, & Universalis Inquisitionis Qualificator, Sacrorum Rituum, Indicis, & S. Officii Flor. Consultor, & in Pisana Universitate Sacrorum Canonum Professor &c.

Attenta praefata Relatione Imprimatur.

Fr. Bernardinus Frachia de Valentia Ord. Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Floren.

Philippus Bonarota Sen. R. C. Aud.

Haec

Haec prae ceteris corrigenda.

pag.	*lin.*		
5.	16.	marmorae	marmoreae
25.	17.	ſino	ſive
32.	34.	ſupp oſita	ſuppoſiticia
64.	3.	*noſtri*	*noſti*
65.	12.	ἐζαυκόυεται	ἐξαυκὑεται
75.	21.	praeſetrim	praeſertim
82.	25.	plenuilnium	plenilunium
88.	12.	ludrica	ludicra
89.	23.	toto	toti
92.	7.	CTK.	CTP.
	9.	ΡΑΦΑΝΕΤΩΩΝ	ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ
	23.	*dele* : inſerta	
93.	7.		*nimirum omnia*
97.	19.	ΝΕΩΚΟΩΡΝ	ΝΕΩΚΟΡΩΝ
100.	23.	uſuſpare	uſurpare
101.	1.	*conficiendum*	*conficiendorum*
110.	22.	menſem	mortem
133.	13.	Maximinus	Macrinus
155.	3.	*dele* : aut XI,	